



V

10/11

alte Nr 122

Valentia, Gregorius de, m. f.,
n. 3 weitere Schriften

K. III. 18.

DE
VBIQVITATE,
SEU

Omnipræsentia Dei

I. IN GENERE:

II. IN SPECIE, IN SVA ECCLESIA:

I. HVMANAE NATVRAE IN PERSONA
CHRISTI, IN TOTO MVNDO:

II. IN TESTAMENTO DOMINICO:

III. IN ECCLESIA, ET IN CREDENTI-
BVS:

C O N S I D E R A T I O
M E T H O D I C A

Per

*Joannem Uuigandum, Episco-
pum Pomezaniensem.*



T V B I N G A E
In Officina Georgij Gruppenbachij.

ANNO M. D. LXXXIX.

LIBRARY

University of

Leipzig

Library

Leipzig



Pio Lectori.

DOST SE RELIQUIT VIR REVE-
rendus & clarissimus Dominus Doctor
Ioannes Wigandus, Episcopus olim Po-
mezaniensis, sanctæ Recordationis, hunc
de VBIQVATE librum, quem ego, missus vnâ
cum cæteris Dominis Legatis ab Illust. Principe, Do-
mino nostro clementissimo, ad funeris illius dedu-
ctionem, obsignatum, & mihi inscriptum ibi inueni.
Cumque meæ & aliorum quorundam Censuræ, in
Epistola proximè sequente, illū subiecerit, & ipse Re-
uerendus D. Episcopus, morte præuentus, emittere in
lucem non potuerit: non putavi hunc librum, Eccle-
siæ nostro tempore imprimis vtilem, supprimendum
esse: sed potiùs cum multis bonis, qui sine dubio eius
argumenti scriptum expectant, communicandū. Sum
autem eiusdem cum mihi dilectissimo compatre D.
Wigando sententiæ, quòd Christus non tantùm se-
cundum humanam naturam omnia sciat, Omnipoten-
s sit, & viuificam vim habeat: Sed & Omnipræsens
vel vbiq; sit, ratione vnionis personalis, & sessionis ad
dexteram Dei Patris, ne cum nouis Nestorianis &
Semisacramentarijs diuidamus Christū, vel duplicem
fingamus. Lætor autem ex animo tale scriptum hîc
etiam edi. Ex eo enim omnibus innotescet pulcher-
rimus consensus Ecclesiarum harum cum Ecclesia
Wirtembergensi, & alijs in Germania, quæ hætenus
non sine laude contra prædictos aduersarios strenuè
& feliciter dimicârunt. Res mira est, eò vesaniæ, pue-
rilis erroris, impudentiæ, & temeritatis progredi ho-
mines quosdam, vt concedentes communicationem

) (2

alia-

PRAEFATIO AD LECTOREM.

aliarum Diuinarum proprietatū, negent hanc vnam
Omnipræsentiæ vel Vbiquitatis. Omnipotentiam
humanitati Christi datam nobiscum astruunt: Omni-
præsentiā verò impugnant. Inclarescere volunt no-
uis opinionibus Spiritus inflati, non parentes Eccle-
siæ, aliàs satis superque afflictae & pressa à sanguinem
nostrum sitientibus Antichristi Gregalibus, Liga dia-
bolica confœderatis, & Hæreticis Calvinianis, eorun-
dem fratribus, qui gladio & vi militari Ecclesiam am-
pliare, tuerique hostilibus suis concursibus in Gallijs,
Belgio, & alibi nituntur. En accipe igitur pie Lector,
qui offenderis eiusmodi scādalis & nouitatibus, hanc
Cygnæam optimi, & hætenus de Ecclesia bene me-
riti viri cantionem: fruerere ea, & aduersus Sophistas
maleuolos vtere. Hisque in Domino vale.

Benedictus Morgenstern, Pastor
veteris Oppidi Regiomontani
in Borussia.

M. Lucas Bilangus, Ecclesiæ vet.
Oppidi Diaconus, subscribo
huic piæ de Homine Christo,
de hominibus nobis benè me-
rito, sententiæ.

REVE

REVERENDO

VIRO, DOMINO M. BENEDI-

CTO MORGENSTERN PASTORI VE-

teris oppidi Regiomontani, Compatri

suo dilecto,

Salutem in Christo Iesu.



HARISS. DOMINE COMPATER, dum in hoc mundo Dominus Deus noster, pro suo beneplacito, vult nos esse: procul dubio etiam nos vult aspicere opera sua, non quidem vt bruta, sed vt sapientiam, bonitatem & potentiam Dei in eis consideremus & prædicemus. Valde igitur probo, quòd herbas, creaturas Dei pulcherrimas, cum quadam pia delectatione inquiris, & contemplaris. Me verò etiam Senectus non nihil retardat, & quædam alia negocia, vt non liceat sæpiùs excurrere, ad visendū plura loca. Omnino autem optârim, aliquem sagacem hominem perlustrare vestra littora, nobisque annotare herbas & stirpes, quæ passim ibi nascuntur. Nihil enim dubito, quin multas præstantes herbas ista littora habeant, à nobis nondum visas vel obseruatas. Sunt ibi in arena littorali multæ herbæ, aliter ibi crescentes, quàm alijs in locis. Quod de herba Moschi, aliquando à me tibi monstrata, quæ passim in locis humidis obuia est, scribis: equidem non memini, à me tibi dentariam esse nominatam, vt etiam non est. Diligenter autem per-

) (3

quisiui

EPISTOLA AVTORIS.

quisiui Mathiolum , Rembertum , Lobelium , Pernam & alios, & Iconas Plantinas aliquoties perlustraui, sed non video iistam herbam à quoquam depictam vel descriptam. A Cordo autem herba Moschi appellata fuit, quia Moschum olet: & iam à multis annis hanc appellationem retinuit. Cotyledonis quidem folia habet, sed flosculi non respondent, si tamen rectè illi in icone depicti sunt. Tu inspicies & expendes. Coniza Helenites in locis humidis nascitur. Quod ad Acorum, quatuor plantas habeo, quæ hoc anno mihi florent. Mitto autem D. Seuerino, tanquam medico, in præsentia vnum eiusmodi florem seu conum Acori, quem apud ipsum, si libet, poteris contemplari. Est omninò elegans conus, ac nisi totum pedem, seu totum folium cum Cono. Reliquos tres flores Acori libenter seruarem ad maturitatem vsq; , vt viderem, ecquid seminis inesset. Radix Acori est valde præstans, benè olet, Ich hab auch sie in Honig eingemacht / singulari acredine valet, &c. Sed ne dicant homines, nos tantùm istis ludicris (cùm tamen non sint ludicra) teneri: ecce & Theologica quædam mitto. Scis nostram concordiam (quam ego pro miraculoso, & gratioso Dei opere reputo, ac magnifacio, vt debeo) à nonnullis infestari, quòd omnipræsentiam carnis Christi astruat, & malè quosdam habere, quòd eo in loco testimonium Lutheri hac de re adscriptum est: atq; in hoc incumbere, vt ea pars doctrinæ ex Concordia tollatur, ac Lutheri nostri verba expungantur, quasi ea in parte turpiter errasset. Intelligis autem, quò spectet iste spiritus, nimirum vt hac arte plurima loca, plura folia
in scri-

EPISTOLA AVTORIS.

In scriptis istius viri prorsus deleat, eisque omnem fidem & auctoritatem derogat. So hetten wir nicht ein / sondern vil Löcher in scriptis Lutheri, & non tantum vnum, sed plurima folia in eis essent lacerata, & laceranda. D wie gern wolste der böse Geist da hinein / vnd also das Werk Gottes in diesem Mann zureissen. Quia non ignoras, Lutherum sapius ista verba habere: Corpus Christi esse vbiq; &c. Superiori itaque anno Methodos quasdam delineare volui, vt ista materia tota ob oculos veniret, faciliusque conspici & dijudicari posset. Nam scis rectè dictum esse: Scire, esse rem per causas cognoscere. Et vtile est in tantis dogmatibus, & controuersijs, non partes solùm, sed & totum, quantum quidem in hac nostra infirmitate fieri potest, considerare. Non conquiescunt, neq; conquiescent deinceps illi flatuosi homines: ideò vt pia cura nos præparemus & muniamus, non est inconsultum, præsertim cùm Deus etiam nos velit esse vigiles suæ Ecclesiæ. Hanc itaq; delineationem ad te, mi cõpater, pro nostra veteri coniunctione & fide mitto, ac peto, vt non graueris legere, atq; expendere iuxta Regulam veritatis diuinæ, in Biblicis monumentis traditam, & peculiari charta annotare, quæ in rebus vel verbis existimes corrigenda. Idem etiam meo nomine à Domino Doctore Pouchenio, à M. Luca Bilango, tuo collega, & alijs petes. Id autem vt tempestiuè fiat, etiam atq; etiam oro. Nam breui in lucem emittere cogito.

Quòd si verò aliquibus videbitur paulò tenuior tractatio, & quædam vel prolixius vel magnificentius

EPISTOLA AVTORIS.

centiùs tractanda fuisse: Sciant illi, esse Methodum, hoc est, breuem ac succinctam annotationem rerum. Si qui autem volent ista vberius exponere atque ornare, liberrimum eis erit. Nobis in præsentia sufficit, res longè amplissimas simpliciter, planè, dilucidè, expositas esse. Vocabula Methodi tantùm ordini in præsentia seruiunt, neque nimis subtiliter aut curiosè de ijs disceptandum esse sentio. Vera autem, hoc est, cõsentanea sacris literis, me utcunque per Dei gratiam consignasse existimo. Et fortè simpliciores ista Methodica consideratione de multis rebus commonefieri queunt, quæ aliàs non ita semper in vnum conspectum veniunt. Dominus Deus clementer ista omnia regat, ad sui nominis gloriam, & plurium salutem. Bene vale in Christo. Salutem precor tuæ coniugi, ac collegis. 3. Augusti, Anno 1587.

Iohannes Vvigandus D. Episcopus Pomezaniensis.

DE

De Ubiquitate.

DE VOCABVLIS.

Π *ἂντα ἄρα, ubique, ubiuis.*

ἂντα ἄρα ὄσια, Ubiquitas. Hanc vocem Sacramentarij genuerunt, in certamine de Omnipresencia carnis Christi.

Ubiquitas autem per se, est attributum seu proprium Dei. Non igitur debebat esse tam odiosum vocabulum, ut Sacramentarij illud exagitant.

Omnipresencia etiam vocari cœpit, in certaminibus aduersus Sacramentarios.

SPECIES.

Habet autem Ubiquitas seu Omnipresencia Dei, quasdam, ut sic dicam, species. Est enim Dei Ubiquitas in genere, in toto videlicet mundo, & creaturis omnibus.

Et specialis, in Ecclesia Dei, & in renatis.

Et specialis, in Sacramentis Ecclesie Dei.

Est & Ubiquitas seu Omnipresencia carnis Christi in genere, hoc est in toto mundo.

Et Ubiquitas seu Omnipresencia carnis Christi, in Cœna Domini specialiter.

Et Ubiquitas carnis Christi, in Ecclesia specialiter.

Specialis autem Ubiquitas hinc appellatur, quæ ex singulari Dei gratia erga homines, non in genere, sed in certa specie, promissa, & ordinata est in Ecclesia Dei, certo & expresso verbo.

Caro, hinc appellatur tota Iesu Christi humana natura.

*Ubiquitas tota
& specialis carnis
Christi.*

De Ubiquitate

De Ubiquitate Dei in genere seu generali.

AN SIT.



ESSE proprium Dei, ut sit ubique seu Omnipraesens in toto mundo, extra controuersiam est in Ecclesia Dei. Testimonia quadam postea subijcientur.

QVID.

Ubiquitas Dei in genere, est proprium Dei, quo creaturis omnibus sua Essentia praesens est, omnia nouit, omnia potest, creat, sustentat, gubernat, benefacit, & punit in omnibus suis creaturis, pro suo placito, ad suam gloriam, & utilitatem creaturarum. Ut rectè docet iste versiculus:

Enter Praesenter Deus est, & Ubique potenter.

Nam non solùm Essentia sua ubique in hoc mundo praesens est Deus, sed etiam potentiam & bonitatem suam in omnibus creaturis exerit atque declarat.

EFFICIENS.

Habet hoc proprium Deus, ut sit ubique seu Omnipraesens, à se, & in se ab aeterno, sine ullo initio, ac retinet illud in aeternum, immutabiliter. Nam ut ipsa Dei Essentia est immutabilis, ita & ista proprietas in Deo non mutatur, iuxta dictum: Quia ego Dominus non mutor, Malach. 3.

Loquitur autem de illo Deo, qui est vnus Essentia, Trinus personis, ac sic se patefecit, quòd sit Pater, Filius, & Spiritus sanctus.

MATERIA CIRCA QVAM.

Ubiquitas ista Dei in praesentia, respectu totius mundi dicitur, & consideratur. Quia in vniuerso mundo à se creato, Deus est ubique seu Omnipraesens.

FOR-

Dei in genere.

3

F O R M A.

Vbique est Deus, non circumscriptivè, non finitivè, sed repletivè, ut vetus doctrina habet. Sic in Jeremia extat: Nunquid non cælum & terram ego impleo, dicit Dominus? cap. 23.

Vbique totus est Deus, tota sua Essentia, non pars duntaxat Essentia Dei, & tamen non sunt plures Dÿ, aut plures Essentia divina.

Item: Sine expansione Essentia divina Deus est vbique, licet eius Essentia sit infinita & immensa.

Inuisibiliter est vbique, licet interdum se manifestet suo quodam modo, scilicet suis creaturis conueniente, ut suo loco exponitur.

Sed ista porro sunt planius explicanda. Est Deus vbique, 1. Præsentia Essentia sua. 2. Omniscientia. 3. Omnipotentia. 4. Sustentatione. 5. Gubernatione. Ista autem sunt non nihil euoluenda.

Præsentia Essentia sua est Deus vbique: Ut in Jeremia dicitur: Nonne Deus è propinquo ego sum, dicit Dominus, & non Deus de longè? cap. 23.

Vetus extat versiculus, omnium sanè piorum iudicio comprobatus:

Enter Præsentem Deus est, & Vbique potenter.

Et rectè Stigelius nostro tempore scripsit:

Præsentemque Deum quælibet herba refert.

Adcst Deus ipse suo opificio, & rebus in eo contentis, non discessit à suo opere, ut Architectus à domo, aut naui extructa, sed semper suo operi adest, conseruat illud, ac regit. Non abest Deus à suo opere.

Omniscientia est Deus vbique, omnia enim perspicit in omnibus creaturis. Nihil prorsus est ei occultum. Sic Jerem. 23. scriptum est: Num occultabit se quis in absconditis, & ego non videbo eum?

Omnipotentia est Deus vbique, quia omnipotens est in omnibus creaturis. Nihil est Deo impossibile, quod vult, Psal. 115. Omnia quacunque voluit fecit (& facit.)

A 2

Susten-

Sustentatione creaturarum rerum, quæ non multiplicantur propagatione, ut sunt cælum, astra, terra, mare, aer, scaturigines, rivi, flumina, montes, valles, &c.

Sustentatione creaturarum, quæ propagatione multiplicantur, ut sunt animalia omnium specierum, homines, iumenta, pecora, fera, volucres, pisces, insecta, & similia, quæ ordinatione & efficacia Dei propagantur, &c.

Gubernatione omnium rerum creaturarum, brutarum, & rationalium, inanimatarum & animatarum, invisibilium & visibilium, liberrima, potentissima, efficacissima.

Gubernat autem Deus creaturas, vel ex gratia, & tum eis omnis generis beneficia confert. Da gehet es alles recht vnnnd wol zu. Implet omne animal benedictione.

Vel ex ira, quando punit, Da gehet es vbel zu. Quia Deus est ignis consumens. Sic facinorosis, tyrannis, Diabolis metas statuit, quousque debeant grassari, nec plus ultra concedit.

Neque Deus ad secundas causas alligatus est. Conseruat quidem ordinem, à se in rebus omnibus, pro suo beneplacito constitutum, sed quando sibi placitum est, tum & sine illo naturali, ut nos vocamus, ordine potest agere, & contra eum potest facere, quaecunque vult. Est enim superior omnibus creaturis, & Dominus omnium creaturarum. Ipse potest Solis cursus inhibere volantes, &c.

FINES, EFFECTVS.

Fines istius Ubiquitatis, seu Omnipresentia diuina, & generalis, sunt.

Mundi totius subsistentia. Nam nisi Deus conseruaret mundum, non subsisteret.

Beneficia sua Deus vult in omnibus creaturis extare, & conspici: pœnas quoque suas iuxta ordinem iustitiæ in ipsis creaturis similiter vult extare & conspici.

Vult Deus rationales creaturas, Deum in omni loco presentem reuereri, innuocare, celebrare.

Est quoque

Dei in genere.

5

Est quoque solatium ingens hominibus, in centrum mundi positus, quod ubique Deus eis sit propè, & non longè, & ubique possit precibus ipsorum compellari, ubique eos exaudiat, præstò eis sit, opemq; ipsis ferre queat.

COMPOSITA ET ALIA.

An Deus sola Omniscientia, Omnipotentia, sustentatione & gubernatione, adsit creaturis suis, & non sua quoque essentiali præsentia?

Est humana quedam cogitatio, Deum non aliter adesse suis creaturis rebus, quàm ut Monarcha, Rex, aut Princeps aliquis in hac terra, adest regionibus sibi subiectis, ita ut sedeat in aliqua arce, aut uno in loco commoretur, & nihilominus suo nutu, sua voce, suis consilijs ac iudicijs, omnia per ministros suos regat, & exequatur, licet ipse sua substantia, non sit ubique præstò. Sic scilicet, Deum in cælis sedere fingunt nonnulli, omniaq; in suo habere conspectu, omnia nutu suo disponere, moderari, pro gratia vel ira, iuxta suam diuinam Iustitiam, licet essentiã suã diuinã non sit præsens cunctis creaturis.

Sed non est ista imaginatio probanda. Nam Deus etiam sua essentiã præsens est omnibus suis creaturis, licet corporalibus & crassis nostris oculis, iam in hoc seculo, à nobis cerni ac comprehendi non possit. Testimonia autem passim extant: ut, Deus ipse inquit: Se non esse Deum à longè, sed à propè. Item: Cælum & terram ego impleo, dicit Dominus, Ier. 23.

Idem versus docet:

Enter Præsentem Deus est, & ubique potenter.

Estq; hæc in omni necessitate dulcissima nobis consolatio, quòd Deus essentialiter sit nobis, & omnibus suis creaturis, præsens.

Deus est immensus. Ergo præsens est omnibus creaturis sua essentiali præsentia. Et ista proprietas Dei ex hoc dicto constat: Cælum & terram ego impleo.

Cogitetur etiam hoc, quod nefandum sit facinus, remouere præ-

A 3

sentiã



De Ubiquitate

sentiam essentia diuina, à creaturis. Ergo scilicet Deus non implet
caelum & terram suâ præsentiâ?

Sed inquis: tamen Christus ait, Patrem esse in cælis, & sic iubet
nos orare: Pater noster, qui es in cælis: Ergo tantum est, ac manet
in cælis, nec adest creaturis præsentiâ essentia sua.

Neganda autem est hæc consequentia. Quia in antecedente
non ponitur vox ista: tantum. Etsi enim Deus est in cælis, tamen
etiam hic, & ubique est suâ essentiâ præsens. Et phrasis ista: qui es
in cælis, etiam ex illa Dei locutione patet: Cælum & terram ego im-
pleo, dicit Dominus.

Obiectio.

Sed cur cælum iubet nos intueri Deus, & sic compellare Deum?
Respondeo: Id ad Maiestatem Dei pertinet, qui superior est creatu-
ris omnibus, & nos ad hanc infimam terram fixi sumus, nec possu-
mus altiùs ascendere in aërem & aëthera, nisi nos omnipotens Deus
eò traducat.

Phrasis itaque ista: Qui es in cælis, hoc vult, hoc est: qui es su-
per omnes creaturas, & es apud omnes creaturas, regis, sustentas
omnia creata.

Sic versus ille dextrè accipiendus est: Cæli cælorum Domini
sunt: terram autem dedit filiis hominum, Psalm. 115. hoc est, Deus
non ita habitat in terra, ut homines terreni, sed excelsior cælis est,
& omnia sibi habet subiecta. Maiestatis sedes est cælum, tot lucidis
stellis exornatum. Merito itaque ista Maiestas Dei est, quod cælos
omnes sibi arrogat, homines autem terra attribuit, ut qui ex pul-
uere terra ortum trahant, & extincti, in puluerem terra iterum
resoluantur. Ita autem Deus noster in cælis est, ut nihilominus
præsens sit omnibus creaturis suis, Essentiâ, Maiestate, efficaciâ.

Obiectio.

Sed cur sese Deus Prophetis in visionibus præbet cõspiciendum,
quòd in throno Maiestatis suæ sedeat in cælo innumeris angelis stipa-
tus, ut in Esaia & Daniele legimus? Respondeo, hominũ captiui sese
accõsp-

Dei in genere.

accommodat Deus, nec tamen abest usquam à suis creaturis. Manet enim hac vox immota: Cælum & terram ego impleo, dicit Dominus.

Estne Deus expansus atque extensus sua essentia diuina, quia
ubique, & immensus est?

Non est Dei essentia expansa, extensa, aut diffusa in hac sua generali, ut sic loquamur, Ubiquitate seu Omnipresentia. Ratio evidens est: Quia tum non esset Deus ubique totus, sed pars duntaxat aliqua Dei hic, aliqua verò alibi existeret, id quod falsissimum est. Nam hoc axioma est immotum: Deus ubique totus est.

Errant itaque vehementer, qui propter ubiquitatem, qua Dei proprium est, fingunt Essentiam eius expansam atque extensam esse, perinde ut cælum est expansum veluti cæruleus pannus.

Num Deus Lupos, Ursos, Leones, &c. etiam gubernat,
ut vorant pecora, item homines?

Nullum est dubium, quin Deus etiam rapacissimas feras in terra, & beluas in mari, regat. Condidit autem eas feras talipato, ut certo cibo sustententur, nimirum ut illa carniuora animalia alia etiam quædam animalia vorant, præsertim verò in syluis ac desertis locis, ne & illa animalia nimium multiplicentur. Sic cattus mures perdit in domibus, vulpecula martes, &c. mures in aruis, & syluis venantur, ac delent: Ursi, lupi, leones, alias feras captant, ac inde sese exatiant, ex Dei ordinatione.

Sed Deus non ordinavit istas feras, iuxta primam quidem conditionem, ut homines lacerarent & deuorarent, id quod tamen interdum faciunt ista rapacia animalia, iam post lapsum hominum, vel fame stimulante, vel iniuriâ lacescita, vel à Deo immissa ex singulari ira, ut pœnam à sceleratis hominibus exigant. Sic Leo interficit Pseudopphetam: Fera Samaritanos propter confusionem religionis laniant. Ursi vorant pueros, Elyseum ridentes & exagitantes. Cetus in mari, deglutit Ionam. Sed ista sunt singularia.

Sic procul dubio est etiam pœna Dei, quando lupi, & ursi, agricolis tot equos, vaccas, boues, oves, porcos discerpunt, ut quidem

Expansus Dei
non est.

Deus ubique totus.

dem in his regionibus frequentissimum est. Sed sæpè etiam incuria agricolarum accedit, non diligenter custodientium sua animalia: tum verò versus, errantem alicubi bonem conspicans, putat sibi à Deo opimam prædam obijci.

Estne Deus in inferno quoque?

Imò, ut Deus adest vbiq̃ue pro suo placito. Sic Psalmus 139. inquit: Si ascendero in cælum, tu illic es. Si lectum strauero in inferno, ecce ades.

Estne Deus in folijs arborum, graminibus, lapidibus, &c.

Sanè Deus est apud omnes creaturas, etiam minimas, & in eis operatur & agit, pro suo placito. Sed non est eis inclusus, ut nucleus est inclusus ceraso, aut pomo, aut nuci. Sed liberè adest, & facit in eis, & cum eis, quaecunque vult. Equidem mirabiliter Deus, ex duris lignis producit tot folia, undique ex ramulis dependentia, eaq̃ nutrit ac fouet, ac profectò mirum est, quòd in æstate, sole vrente, foliola tenera non prorsus exiccantur & cremantur. Gramina quoque habent ornamenta sua in folijs, in cauliculis, in floribus, in seminibus, in radice, & in efficacia seu virtute, ita ut necesse sit fateri, admirandam præsentiam, sapientiam, bonitatem, potentiam, in qualibet herba ob oculos versari. Lapidum quoque varietas, bonitas, vsus testatur, Deum eis adesse, atque in eis quoque suo modo agere. Vt enim de gemmis mira pulchritudinis & virtutis nihil dicam, quàm diuina est hæc operatio in lapidibus, quòd eis aurum, argentum, cuprum, stannum, plumbum, &c. Deus inserit, ad multiplicem vsum hominum?

De desertione Dei.

Dicitur Deus homines deserere, aut creaturas, quando eas non iuuat, & quando iram & pœnas suas exerit: Nihilominus tamen Deus non abest. Et sunt Anthropopathiæ, quando Prophetæ orant, ut Deus reuertatur, hoc est, humano more dictum est, & petitur iterum Dei fauor, atque auxilium.

Sic

Dei in Ecclesia.

Sic Phrasis: Da ist Gott nicht beygewesen | hoc vult, Deus non probat peccata, aut facinora impia hominum, aut Diabolorum, Deus odit ac punit ea.

De Ubiquitate Dei in

Ecclesia, & in renatis.

AN SIT.



QVOD sit specialis, peculiaris, & gratiosa quadam Dei Ubiquitas seu Omnipraesentia in Ecclesia Dei vera, ubicunque locorum ea est, siue in caelo, siue in terra, certum & indubitatum est. Sed in praesentia, de Ecclesia hominum in terris, differamus. Testimonia sunt.

Ero Deus tuus, & seminis tui post te Gen. 17.

In omni loco, in quo fecero meminisse nominis mei, veniam ad te, & benedicam tibi, Exod. 20. Nota: Veniam, inquit, ad te. Essentialiter enim Deus adest Ecclesiae suae.

Quae est gens tam grandis, quae habeat Deos appropinquantes sibi? sicut est Dominus Deus noster, in cunctis obsecrationibus nostris, Deut. 4. Appropinquat Deus suis cultoribus. Hierosolymis in arca foederis habitabat, ibique suam gloriosam praesentiam testabatur, apparitione in nube.

Gal. 4. Quoniam estis filij, misit Deus Spiritum filij sui in **CORDA VESTRA**, clamantem Abba Pater.

Ecclesia appellatur, & est regnum Dei. Ergo Deus est, & regnat in sua Ecclesia peculiariter. Et fidei articulus est: Credo Ecclesiam Catholicam.

Correlatiua sunt: Ecclesia & Deus, ita ut ubi est Ecclesia, ibi est Deus gratiosè, plurima dona spiritualia impertiens. Vbi verò non est Ecclesia, ibi non est ista sua speciali gratia, & donis peculiaribus.

B

DE

DE VOCABVLIS.

Specialis Dei ubiquitas seu Omnipresentia dicitur respectu generalis Dei Ubiquitatis, quia non omnes homines concernit, sed tantum eos, qui verbum Dei purum discunt, & Sacramenta à Deo instituta, legitime usurpant. Sic & peculiaris, & singularis Dei Ubiquitas nominari solet.

Gratiosa Dei Ubiquitas appellatur, propter causam impulsivam.

Ecclesiastica quoque Dei Ubiquitas seu Omnipresentia vocari posset, quia est Ecclesiae Dei propria. Alij enim homines extra Dei Ecclesiam, eam non habent.

Q V I D.

Ubiquitas seu Omnipresentia Dei in Ecclesia est, quòd ubique terrarum Ecclesia Dei existit, audiens verbum Dei incorruptum, & rectè utens Sacramentis iuxta verbum diuinum, ibi est Deus praesens suà essentià, & gratiosà efficacià, homines regenerans, & saluans.

EFFICIENS.

Deus ipse, nempe Pater, Filius, & Spiritus sanctus, est huius Ubiquitatis suae gratiosae in Ecclesia, causa in se, & per se.

Impulsiva autem istius gratiosae Omnipresentiae diuina, in Ecclesia sua inter homines, sunt: Gratia & dilectio Dei immensa erga genus humanum, quia pro sua φιλαδελφονία, noluit uniuersum genus humanum in peccatis suis perire in aeternum.

Et meritum Christi, Mediatoris & Saluatoris generis humani. Nam in Christo nos Deus Pater dilexit, & propter Christi meritum est Deus hominibus misericors, recipit eos in gratiam, & donat eis vitam aeternam. Si enim absque hoc Intercessore, & Propiciatore, Filio scilicet Dei, qui debuit fieri homo & Victima, & statuto iam tempore omnia compleuit, fuisset: post lapsum in Paradiso commissum, nulla prorsus in genere humano esset Ecclesia. Christus inquit: Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum

genitum daret, ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam eternam, Ioan. 3. Et Paulus inquit: Fecit nos gratiosos in dilecto, Ephes. 1.

MATERIA IN QVA.

In Ecclesia, hoc est, in hominibus verbum Dei incorruptum audientibus & discantibus, & rectè utentibus Sacramentis, immediatè à Deo institutis, est hæc gratiosa Dei Omnipresentia, & non in alijs gentibus extra Dei Ecclesiam, ut in Psalm. 147. dicitur: Qui annunciat verbum suum Iacob, iustitias & iudicia sua Israeli. Non fecit taliter omni nationi, & iudicia sua non manifestauit eis.

FORMA.

Totus Deus, hoc est, Pater, Filius, & Spiritus sanctus, unus essentiâ, trinus personis, ubique totus est in sua Ecclesia, mirum:

Præsentiâ essentiali & gratiosa. Sic Deus inquit ad Isaac: Ego sum Deus Abraham patris tui, noli timere, quia ego tecum sum, Genes. 26. Non est autem hoc dictum personale, hoc est, tantum personam hanc unicam concernens, sed uniuersale est, quò ad Ecclesiam totam, in qua Isaac Patriarcham agebat.

Deut. 7. Dominus Deus tuus in medio tui est, Deus magnus & terribilis, Deuter. 20. Dominus Deus tuus tecum est, qui fecit te ascendere de terra Aegypti. Item: Dominus Deus in medio vestri est, & pro vobis contra aduersarios vestros dimicet, ut eruat vos de periculo. Ibid. Ioel. 2. Scietis, quòd in medio Israel ego sum, & ego Dominus Deus vester, & non est ampliùs. Zach. 2. Ecce ego veniam, & habitabo in medio.

Operatione atque efficacia Dei gratiosa, per verbum & Sacramenta, verbo Dei adiuncta.

Operationes autem istæ gratiosæ Dei, in Ecclesia per verbum & Sacramenta (ne quis fanatismos & Enthusiasmos extra Dei verbum hic fingat) sunt.

Illuminatio tenebrarum hominis, hoc est, lux vera notitiæ de Dei essentia, & voluntate, tum Legali, tum Evangelica.

Regeneratio, conuersio salutaris ad Deum, quæ continet contritionem & fidem, iustificatio coram Deo, donatio Spiritus sancti, sanctificatio & inchoatio nouæ obedientiæ, & verorum cultuum Dei, confessio, constantia, consolatio in ærumnis, spes certa vitæ æternæ, &c.

Piarum scholarum, quæ sunt Ecclesiæ Dei seminaria, conseruatione gratiosa. Huc pertinet largitio doctorum in Ecclesiâ excellentium gratiosa, ut Prophetarum, Apostolorum, & aliorum.

Inhabitatione Dei gratiosa. Hoc etiam, ut & alia omnia, magnum est, & singulare donum ac decus Ecclesiæ Dei. Verùm hac de re paulò vberius postea.

Gubernatione Dei gratiosa in tota vita, Psalm. 1. Nouit Deus viam iustorum, hoc est, scit, iuuat, promouet singulari gratia.

Protectione gratiosa aduersus Diabolos, & impios, subinde vera veræ Ecclesiæ Dei membra infestantes, Gen. 15. Noli timere Abraham, ego protector tuus sum, scilicet gratiosus, & peculiaris protector. Esa. 49. Umbra manus suæ protexit me. Significat præsentem, & gratiosam protectionem.

Liberationibus gratiosis, & mirandis, quales nullæ aliæ gentes habent, ut est Noæ cum tribus filijs, eorumq; coniugibus & animalibus certis, in arca fluitante per annum integrum, conseruatio: Eductio Lothi ex incendio Sodomitico: Traductio numerosi populi per mare, ad percussionem cum baculo cedens, & tam diu stans, donec omnes salui atque incolumes transuissent, in hostem verò insequentem magno impetu regurgitans: sibus per 40. annos ex nubibus destillans: liberatio sociorum Danielis ex flammis accensæ fornacis: conseruatio Danielis per noctem integram inter famelicos leones. Item: Anus steriles sunt fecundatæ, mortui resuscitati, &c.

Predictionibus de rebus futuris in Ecclesiâ, & Politia. Non enim solum mediatè, sed & immediatè Deus suis seruis futura prædixit.

Liberrimè Deus adest suæ Ecclesiæ, ubiuis locorum, ita scilicet, ut degenerantem Ecclesiam, hoc est, corrumpentem doctrinam cælestem, peruertentem Sacramenta verbo diuino adiuncta, coleantem idola, &c. deserat, hoc est, non amplius ei gratiosè adsit, non regat tales Spiritu sancto, sinat eos ruere in errores, & tetra peccata, quæ pro sua grauitate punit. Sic Ose. 1. dicitur: Quia vos non populus meus, & ego non ero vester Deus. Et cap. 4. Quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi, & quia oblitus es legis Dei tui, obliuiscar filiorum tuorum & ego.

Porro beneficia, quæ Deus benignissimus Ecclesiæ suæ confert, plura sunt, quàm ut hoc loco commemorari queant. In propositione enim persistendum fuit, quomodo Deus in Ecclesiæ sit ubique.

FINES, EFFECTVS SVNT.

Gloria Dei. Nam hanc ob causam Deus, ex immensa misericordia, sibi in genere humano Ecclesiam colligit, ut ab ea cognoscatur & glorificetur. Luceat, inquit Christus, Lux vestra coram hominibus, ut glorificetur pater vester, qui in cælis est, Matth. 5.

Salus hominum, Regeneratio, conuersio, renouatio hominum. Nam in sola Dei Ecclesiæ sunt vna membra Ecclesiæ, templa Spiritus sancti, & filij Dei accepti, & hæredes vitæ æternæ.


Cultus Dei veri. Nam Deus vult ab hominibus coli & inuocari, iuxta verbum suum diuinitus patefactum. At verbum Dei verum, & incorruptum de notitia Essentiæ & voluntatis Dei, tantum extat in Ecclesiæ Dei. Proinde tantum in Ecclesiæ Dei vera & sincera, verus Deus rectè, & in fide Iesu Christi inuocatur, colitur, celebratur. Sic Christus inquit: Veri adoratores adorant Deum in spiritu & veritate, Ioan. 4. hoc est, per Spiritum sanctum, & iuxta verbum Dei reuelatum.

Conseruatio populi Dei, defensione aduersus molitiones Diabolorum, & filiorum huius seculi. Nam si Deus non adesset suæ Ecclesiæ, infringendo, & propulsando machinationes Diabolorum, & organorum eorundem, non posset vsquam locorum Ecclesiæ Dei diu durare.

Consolatio evidens, quia Ecclesia Dei est cæcus dispersus super terram, odijs Diabolorum & impiorum expositus. Iam si Deus ipse non esset eis præsto, mæroribus interirent. Sed hoc dictum ad ciues Ecclesia Dei pertinet: Cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum. Non tantum autem auxilium promittitur, sed etiam præsentia Essentialis.

De Inhabitatione Dei

in renatis.

 Si ander contendebat, sese ideò hoc dogma præferre: quòd non sola fide in Christum, sed Essentiali Dei iustitia, habitante in hominibus, & efficiente, ut iuste agamus, iustificemur: quia moderni doctores Ecclesia, nihil de inhabitatione Dei in sanctis docerent, quæ quidem res sit maximi momenti, ac plena consolationis, ac moneat nos perpetuò, ne peccatis contra conscientiam, & impænitentiã excutiamus Deum in nobis habitantem.

AN SIT.

Non solum Deum habitare in Ecclesia, eiq; Essentialiter adesse, docent sacra litera, ut Ezech. 43. Habitabo in medio eorum semper. Ioel. 3. Ego Dominus sum Deus vester, habitans in Sion, in monte sancto meo. Iam verò uniuersa Ecclesia Christi, est ille mons Sion. Zacha. 2. Habitabo in medio tui. Sed etiam in ipsis renatis, Deumq; timentibus, peculiariter Deum habitare, ut:

2. Corinth. 6. Paulus, quasi colligens ex sacris literis in acervum testimonia illa, de gratiosa Dei inhabitatione, ita scribit: Dicit Dominus: Quoniam inhabitabo illis. Observandum autem est, quòd Apostolus eo ipso loco hoc asseuerat, ubi inquit: Vos estis templum Dei viui.

Esa. 57. Sic dicit excelsus & sublimis, habitans eternitatem, & sanctum

sanctum nomen eius, in excelsis & sancto habito, & cum contrito & humili spiritu, ut uiuificem spiritum humilium, & uiuificem cor contritorum. Magnifica prorsus, utpote diuina, est hac oratio. Clare autem docet Deus, sese habitare cum contrito spiritu, hoc est, in homine seriam agente penitentiam, quam ipsemet quoque ex gratia in eo operatur atque efficit.

In nouo Testamento similiter extant illustria testimonia hac de re, ut:

1. Corinth. 3. Nescitis, quod templum Dei estis, & spiritus Dei habitat in uobis? Si quis autem templum Dei violauerit, disperdet illum Deus. Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos.

1. Corinth. 6. An nescitis, quod membra uestra templum sunt Spiritus sancti, qui in uobis est, quem habetis à Deo, & non estis uestri?

2. Corinth. 6. Vos estis templum Dei uiui, sicut dicit Deus: Quoniam habitabo in illis, & inambulabo inter eos, & ero illorum Deus, & ipsi erunt mihi populus. Vtrumque autem docet his uerbis Apostolus: & quod Deus in membris Ecclesiae ueris habitet, ita ut sint templa uiui Dei, sicut praeclare loquitur: & quod Deus sit in medio totius Ecclesiae, homines, doceat, regeneret, uiuificet saluet, ut tota Ecclesia uicissim sit Deo addicta, eum inuocet ac celebret.

Ephes. 3. Ut Christus habitet per fidem in cordibus uestris. Ideo autem hoc testimonium huc quoque adscribendum putauit, quia & Christus Deus est. Sed quia in persona sua habitat in renatis, ideo de humana eius natura, postea Deo dante, plenius differendum erit.

QV I D.

Inhabitatio Dei in renatis, est gratiosa Dei actio, quam Deus essentialiter inhabitat renatos, seu timentes Deum in sua Ecclesia, eos suis donis replens, uiuificans & saluans.

EFFICIENS.

Deus ipse est efficiens causa istius in habitationis tam gratiosae in sanctis suis.

Impul-

Impulsivae sunt: Gratia Dei immensa, & meritum Christi, propitiatoris generis humani. Nam absque hoc merito istius Mediatoris si fuisset, neque ista gratiosa Dei inhabitatio cuiquam mortali contigisset.

MATERIA IN QVA.

In veris Ecclesiae membris, hoc est, in renatis, in sanctis, in credentibus, in timentibus Deum, ut Scriptura eos nominat, ista gratiosa Dei inhabitatio fit, & non contingit ulli hominum extra Ecclesiam Dei, non impœnitentibus, non perseverantibus in delictis contra conscientiam, iuxta dicta, Psalm. 68. Deus in habitaculo sancto suo. Item: Hic est mons, in quo beneplacitum est Deo habitare. Etenim Dominus habitabit in æternum, Psalm. 135. Dominus habitat in Ierusalem. Item: Per verbum suum & Sacramenta, isti verbo addita, Deus se nobis communicat, non per raptus, vel Enthusiasmos, extra Dei verbum, ut fanatici somniant. Luculentum Christi dictum extat, Ioan. 14. Si quis diligit me, sermonem meum servabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & MANSIONEM apud eum faciemus.

FORMA.

Inhabitat igitur Deus suos renatos, ac credentes, gratiosè. Essentialiter, seu Essentiâ sua diuina. Sic Christus inquit: Mansionem apud eum faciemus, Ioan. 14. Et Paulus ait: Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum sanctum, qui datus est NOBIS, Rom. 5. Item: Non accepistis Spiritum servitutis iterum in timore: sed accepistis spiritum adoptionis filiorum Dei, in quo clamamus, Abba pater, Rom. 8. Item: Nescitis, quòd templum Dei estis, & Spiritus Dei habitat IN VOBIS, 1. Corinth. 3. Item: An nescitis, quòd membra vestra templum sunt Spiritus sancti, qui in VOBIS est, quem habetis à Deo, & non estis vestri, 1. Corinth. 6. Eiusmodi igitur testimonia luculenter docent, Deum sua Essentiâ diuinâ esse & habitare in sanctis seu credentibus in Christum.

stum, & non tantum eis assistere, aut saltem operari in sanctis. Hac sane magna est dignitas credentium in Christum, in Ecclesia Dei. Nam extra Dei Ecclesiam Deus in nullo hominum sic gratiosè habitat, licet sua quaedam opera in eis efficiat.

Non tamen in illa gratiosa Dei inhabitatione fit unio personalis Dei & hominum. Alia autem res est, quod filius Dei fit homo, atque in unionem personæ suæ diuinæ assumit naturam humanam, absque permixtione naturarum, & inseparabiliter.

Separabiliter Deus gratiosè habitat in credentibus. Quando enim ipsi credentes labuntur in peccata contra conscientiam, gignunt, aut defendunt errores, aut in alia scelera ruunt, de quibus non agunt pœnitentiam, Deus ipsos derelinquit, & punit. Ioannes inquit: Qui facit peccatum, ex Diabolo est, 1. Ioan. 3. hoc est, non peccat ex Deo, sed locum apud se præbet Diabolo, & damnatur nisi egerit pœnitentiam. Nam porta gratiæ propter Christum patefacta, nemini agenti pœnitentiam clauditur. Non igitur putandum est, quod spiritus Dei sit in peccantibus contra conscientiam, aut in impœnitentibus.

Inuisibiliter habitat Deus gratiosè in renatis & in credentibus, id quod interdum spiritualiter inhabitare nominatur, sano tamen intellectu.

Modus autem ipse, quo Deus Essentia sua infinita, gratiosè habitat in sanctis seu in credentibus in Christum, soli Omnipotenti Deo notus est. Nos miseri homines, oppressi tenebris carnis depravata, eum modum capere, aut explicare non possumus, & quia non est reuelatus, etiam non debemus curiosè scrutari. Nostrum itaque est, tantum acquiescere in eo, quod sacra litera patefaciunt, nempe quod sit: hoc est, quod Deus gratiosè habitat suam Essentiã in credentibus.

QVOMODO autem Deus ille Omnisapiens, & Omnipotens, verè ac certò hoc perficiat, ut non est nobis permissum rimari: ita ipsi in totum quoque relinquendum est. Quicquid enim Deus eloquitur, ac vult, id potest præstare, ultra, supra & contra captum omnium hominum, & angelorum.

FINES, EFFECTVS.

Testimonium $\Theta\lambda\alpha\delta\sigma\omega\pi\iota\alpha$; Dei, est hæc gratiosa in sanctis suis habitatio: Nulli enim alij creatura (exceptis angelis cœlestibus) tam gratiosè communicat se Deus, vt hominibus renatis, & credentibus. Aeternis itaque laudibus hoc ingens Dei beneficium, nos homines celebrare debemus.

Adauctio donorum Dei in renatis, istam tam gratiosam Dei in credentibus inhabitationem comitatur. Nam Deus non ociosè habitat in eis, sed timorem Dei & fidem auget, & sanctos motus accendit. Sic Paulus ait: Accepistis spiritum adoptionis filiorum Dei, in quo clamamus Abba pater. Rom. 8. Docet enim, Spiritum sanctum in nobis habitantem, notitiam veri Dei, fidem, inuocationem accendere, ac nos certos facere de benigna Dei erga nos voluntate, & exauditione.

Consolatio quoque sequitur, in luctis conscientia de nostris peccatis, vt Rom. 8. scribitur: Ipse spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quòd simus filij Dei. Hæc profectò magna & salutaris res est. Nam premunt nos omnes, peccata nostra grauissimè, & legis fulmina aduersus nos peccatores sunt vehementissima. Ibi igitur aduersus multitudinem, & magnitudinem peccatorum nos mordentium, & aduersus legis tonitrua, & cornuscationes nos circumlucen-tes, & territantes, in corde retinere certam, & firmam consolationem de propitio Deo, condonatione delictorum, & receptione in vitam cœlestem, profectò res est summa. Plurimi enim homines, presertim ignari doctrinae Euangelicæ peccatorum pondere, & ira Dei flagrante aduersus peccata, oppressi, mœrori sese dedunt, ac pereunt. Impossibile enim prorsus est, absque Spiritus sancti operatione & Euangelicæ gratia, per & propter Christum inculcatione, ex istis tentationibus eluctari, ac lætam habere conscientiam.

Consolatio, protectio, liberatio in rebus aduersis, vt I. Ioan. 5. scriptum est: Vos ex Deo estis filioli, & vicistis eos, quoniam M A-

FORest, qui **IN VOBIS** est, quàm qui in mundo est, hoc est, quàm Diabolus, & eius mancipia, tyranni, & omnes impij, Psalm. 125. In circuitu Ierusalem sunt montes. Sic Dominus in circuitu populi sui est, ex hoc nunc & vsque in seculum.

Gubernatio gratiosa in consilijs, & actionibus. Nam absque Deo nihil est felix, nihil faustum, nihil salutare. Grauis vox Lutheri est: Hominem absque seffore, eum gubernante, non esse. Aut enim hominem habere Deum in sefforem & gubernatorem, & tum omnia rectè fieri: aut Diabolum habere in sefforem, & tum omnia malè fieri. Orandus igitur Deus est, ut is in nobis maneat, & nos gubernet, ut aliqua Deo grata à nobis fiant, & propellat Diabolos, nostræ vitæ, & salutis insidiantes.

Monitio, ne peccemus, quia tam propè nobis est Deus, ut non tantùm adsit, sed etiam insit nobis. Hunc igitur tam sanctum, tam necessarium, tam beneficum, tam salutarem hospitem, non profligemus à nobis securitate, peccatis contra conscientiam, impietate: ne succedat postea iterùm malignus spiritus, adductis secum alijs septem se nequioribus, ut Christus præmonet.

COMPOSITA ET ALIA.

Quare autem in hac inhabitatione, non perpurgat nos totos Deus?

Respondeo. Posset quidem Omnipotens Deus hoc efficere: Sed suum habet consilium, quare in hac vita id non præstare velit. Procul dubio autem vult Deus in hac vita pœnam peccati, in Paradiso perpetrati, extare, ut totus mundus cognoscat, Deum seriò odisse ac punire peccata. Deinde, ut ad vitam æternam, & omnimodam expurgationem nostræ depravatæ naturæ, eò ardentius suspiremus. Nam sic Deus pro suo beneplacito decreuit, quòd restitutionem nostræ corruptæ naturæ velit perficere in nouissimo iudicio, & è vestigio nos in vitam cœlestem, atque beatam traducere.

Obiectio. Atqui probrosum esset Deo, si *Essentia illa in infinitum iustissima*, in vasculis tam horribiliter inquinatis peccato originis, & actualibus, deberet habitare?

Responsio. Sanè res admiranda est, quòd hoc faciat Deus, & dum nos miseri homines, adhuc multis modis polluti sumus in hac vita, tamen in nobis habitare dignatur. Licet enim simus renati, & inchoata sit in nobis aliqua nouitas: tamen manet lues originalis, ex qua multa sordes emanant. Sed quia verbum Dei hoc docet, idè sic Deo placet, suam erga nos homines ingentem dilectionem declarare, & quia sic Deo placet, & in verbo suo sic nos docet: Ergò non debemus hoc Dei gratiosum opus improbare, aut respuere, sed magnificare, atque æternis laudibus celebrare. Diabolus quidem, hostis Dei, nobis hominibus istum honorem inuidet, eamq; ob causam, ubicunque potest, eum dedecorare conatur. Oremus itaque Deum, ut apud nos maneat, & Diabolum procul à nobis arceat.

Alia obiectio.

Deus inhabitat homines. Ergò est Physica inhabitatio, quæ est Deo indigna.

Respondeo. Et quid tu in capite tuo insanis? Non habitat Deus in sanctis hominibus, credentibus in Christum Physicè, hoc est, naturali modo, ut piscis habitat in aquis, Volucris in arbore, aut ut nos in domo habitamus, Leo in antro suo, &c. Sed gratiosè habitat suâ ipsius *Essentiâ* in hominibus renatis et credentibus Deus, & ita quidem, ut sua dona hominibus largiatur, nempe renouationem spiritualem, fidem, consolationem firmam in corde, dilectionem erga Deum & proximum. Hæc non fiunt Physico, hoc est, naturali modo, sed diuino, ad quem licet tu stupeas, eumq; perscrutari non valeas: tamen Deus hoc, quod verbo suo docet atque attestatus est, certò & potenter exequitur.

Ceterum quod ad *Omnipresentiã* Dei in suis Sacramentis at-
tinet, ex superioribus pleraq; intelligi queunt, & alibi fusiùs expli-
cantur. Ad reliqua itaq; Deo duce, properamus.

D E

De Omnipræsentia personæ

Christi, iuxta vtramque naturam
in hoc mundo,

AN SIT.



QUOD Christus iuxta diuinam suam naturam sit ubique, non iam versatur in controuersia, & quod ad diuinam naturam Christi, ut est ὁμοῦσι & patri, ita etiam ab æterno habet cum Patre, & Spiritu sancto omnia, de quibus in præcedentibus duabus Methodis dictum est, quæ hoc loco non repetimus. Sed cum Christus non solum Deus, sed etiam homo sit in una persona diuina: Ergo hic disceptatur potissimum, an iuxta suam quoque humanam naturam, quam non habet ab æterno, sed in tempore accepit ex Maria virgine, virtute Altissimi, sit simul in persona sua diuina, Omnipræsens, seu ut loqui solent, ubique apud omnes creaturas?

Non de diuinitatis ubiuitate controuertitur.

Sed an etiam iuxta humanam naturam ubique sit præsens.

Quòd itaque caro Christi, seu in Christo, seu in persona filij Dei, in quam assumpta est, sit ubique, seu Omnipræsens in toto mundo, ista probant.

Probationes huius Omnipræsentia ex verbis.

Ioan. 1. Verbum caro factum est. Ista autem rectè ab Ecclesia Christi explicantur, quòd Filius Dei, in unionem suæ diuinæ personæ, assumpsit naturam humanam, ex virgine Maria, idq; non confusis, aut mutatis naturis ipsis. Item inseparabiliter, & indistanter.

Ioan. 1.

I.

Sed inquis, tamen non inest in hoc dicto: Verbum caro factum est: illa Omnipræsentia, seu ubiuitas carnis Christi? Respondeo: Imò inest. Attende parumper.

Verbum (id est, Filius Dei) est ubique, quia est vnus Deus essentiâ & Maiestate, cum Patre, & Spiritu sancto.

Verbum caro factum est.

Ergo caro (huius Verbi, seu Filij Dei) est ubique Omnipræsens, saluo exinanitionis statu.

C 3

Item.

Item.

2. Persona filij Dei est ubique, Omnipræsens, quia filius Dei est ὁμοῦσι & Patri, & Spiritui sancto. Qui hoc negat, est Arianus.

Persona filij Dei in totam unionem suæ diuinæ personæ, & non in particulam duntaxat personæ, assumpsit naturam humanam, idq; inconfusè, & inseparabiliter. Ista inficiens, est Nestorianus.

Ergo natura humana assumpta in totalem unionem personæ diuinæ, est ubique, Omnipræsens in toto mundo. Non autem ex se, aut per se, sed in illa unione hypostatica, inseparabiliter, & indistanter.

Item.

3. Persona Christi est ubique, Omnipræsens in toto mundo. Hoc autem inficiari, est hereticum prorsus.

Persona Christi est Deus & homo. Et hoc negare, est hereticum prorsus.

Ergo iste Deus & homo, est ubique, Omnipræsens in toto mundo.

Item.

4. Totus Christus est ubique, quia tota persona Christi est ubiq;. Constat enim Christus unica duntaxat persona.

Totus Christus est Deus & homo. Solus enim Deus non est Christus. Neque solus homo est Christus. Sed Deus & homo in unica persona est noster Christus & Saluator.

Ergo hic Deus & homo, est ubique, Omnipræsens.

Item.

5. Deus est ubique.

Hic homo est Deus.

Ergo hic homo (θεὸς ὁ ἄνθρωπος) est ubique.

Est autem hic homo Deus, non essentiâ suâ propria, sed persona, quia in diuinam personam filij Dei assumptus est.

Ergo negantes hunc hominem esse ubique, seu Omnipræsentem, negant eum esse Deum, cum quo est unica persona, quia in unionem personæ filij Dei assumptus est.

Item.

Item.

Diuellere ac discerpere naturas in Christo, Nestorianum scelus 6.
est, toto pectore detestandum.

*Sed asserere, personam diuinam filij Dei esse ubique, & natu-
ram humanam, à persona filij Dei assumptam, in cæli spatioso pala-
tio iam manere certo loco, nec simul esse, ubi persona diuina filij Dei
existit: diuellit, discerpit, dilaniat naturarum unionem hyposta-
ticam in Christo.*

*Ergo isti committunt scelus Nestorianum. Nec iuuat ipsos iste
lusus, adherere tamen naturam humanam personæ infinitæ filij
Dei, ut Antuerpia adheret Oceano, scilicet in aliqua parte: ut
Martyr insanit. Nam natura humana recepta in unionem hypo-
staticam filij Dei, non adheret personæ filij Dei tantum in parte
aliqua, sed toti personæ filij Dei unita est.*

*Ista argumenta omnia ex unione hypostatica duarum natu-
rarum in Christo, bona & firma ratiocinatione emanant, cuius
quidem unionis fundamentum, est dictum hoc illustre: Verbum
caro factum est, Ioan. 1. saluo tamen semper exinanitionis statu.
Quibus autem cauillis nonnulli prestigiatores ista eludere conen-
tur, suo loco exponetur.*

*Matth. 11. Omnia mihi (Christo homini) tradita sunt à Pa-
tre. Athanas. serm. 4. contra Arianos: Antequam diceret, omnia
mihi tradita sunt, omnium erat Dominus. Et Lutherus ad hoc di-
ctum præclarè scribit, quòd dicit: Tradita sunt, significat se verè
esse hominem, qui acceperit à Patre. Non enim puro homini Deus
omnia traderet, neque purus Deus acciperet ab ullo. Quia neque
homo purus super omnia potest esse, neque purus Deus sub Deo po-
test esse. Hec ille.*

Ex dictis
Math. 11. 28.
Ioan. 3.
Psal. 8.

*Matth. 28. Data est mihi (homini Christo) omnis potestas,
in cælo & in terris.*

*Ioan. 3. Pater diligit filium, & OMNIA dedit in manu eius.
Hinc istud Argumentum surgit.*

Cuicum-

1. Cuicumque omnia in cælo & terra, & cum omni potestate in omnia, in cælo & terra, (hoc est in toto mundo, quia hac phrasè comprehenduntur omnia, quæ in uniuerso mundo creata à Deo sunt, & continentur) tradita sunt: is nouit omnia in omnibus creaturis, is præsens est omnibus creaturis, is potest omnia in omnibus creaturis pro suo beneplacito.

Sed Christo homini, seu quâ homo est, data sunt omnia, & omnis potestas & virtus in omnia, quæ in cælo & terris sunt, excepto, eo qui tradidit, (& dictum loquitur de omnibus rebus à Deo creatis, teste ipso Dei filio omniscio & veracissimo) Qua enim Deus est, non ei ista data sunt, sed habet ista ut æternus omnipotens Deus, & Creator rerum omnium.

Ergo hic Christus etiam, quâ homo, (scilicet non extra, sed in hac unione hypostatica cum filio Dei) est Dominus totius mundi, ex illa nimirum Dei donatione in unione hypostatica, perspicit omnia in toto mundo, præsens est omnibus in toto mundo, omnia in omnibus efficit in toto mundo, pro suo liberrimo beneplacito. Verum ut dixi, non separatim aut seorsim à persona diuina filij Dei, sed natura diuina filij Dei agit in, cum, & per humanam naturam.

Psalm. 8. Gloria & honore coronabis eum, constitues eum super opera manuum tuarum: OMNIA subiecisti sub pedes eius: Oues & boues uniuersos, insuper & pecora campi, volucres cæli & pisces maris, & quæ perambulant semitas maris. Ad hunc ipsum locum Christus respicit, quando OMNIA ait sibi tradita esse. Ergo proximo argumento continetur.

2. Omnipotentia Dei, & Omnipræsentia Dei sunt coniuncta, non sunt disiuncta.

At Omnipotentia Dei data est natura humana, in persona Filij Dei, Matth. 28.

Ergo, & Omnipræsentia data est natura humana in persona Filij Dei.

Ex sessione
ad dexte-
ram Dei.

Matth. 26. Dico vobis. Amodò videbitis filium hominis sedentem à dextris virtutis Dei. Epistola ad Hebræos vocat dexte-
ram

Personæ Christi.

25

ram Maiestatis Dei in cœlestibus, seu cœlestis. Ad Coloss. 3. Sursum ait Christum sedere ad dexteram Dei, hoc est, non esse terrenam dexteram, qualis est Cæsarum & Regum terrenorum, sed esse Dei dexteram, Maiestatem, virtutes, potestatem. Hinc autem ista argumenta rectè oriuntur & sequuntur.

Quicquid est ad dexteram Dei, id est ubique, Omnipræsens, I.
in toto mundo.

Caro Christi est ad dexteram Dei.

Ergo caro Christi est ubique, Omnipræsens, in toto mundo, scilicet in ista unione hypostatica, non extra eam.

Maior probatur.

Esse aut sedere ad dexteram Dei, virtutis & Maiestatis Dei, est omnia sibi habere tradita in cælo, & in terra. Non enim solummodo honorem diuinum, sed & omnem potestatem complectitur.

Sed caro Christi est ad dexteram virtutis, & Maiestatis Dei euecta & posita.

Ergo carni Christi omnia tradita sunt in cælo & in terra.

Ampliùs.

Omnia sibi habere subiecta & tradita in cælo & in terra, est 2.
regere ubique omnia creata in toto hoc mundo.

Sed carni Christi in ipsius persona tradita est omnis potestas in cælo & in terra.

Ergo caro Christi in hac persona regit ubique omnia in cælo & in terra. Non tamen in abstracto per se, non sola, sed natura diuina agit in, cum, per naturam humanam.

Ampliùs.

Regere ubique omnia, virtute ac Maiestate sessionis ad dexte- 3.
ram Dei, est non tantum nosse omnes creaturas ubique, & eas pro suo liberrimo iustissimoq; arbitrio, & beneplacito in sustentatione, benefactis & pœnis gubernare, sed etiam ubique eis adesse, & in eis operari.

Sed caro Christi in persona, regit ubique omnia, virtute ac Maiestate sessionis ad dexteram Dei, ad quam euecta est.

D

Ergo

Ergo caro Christi in persona adest ubique in cælo & in terra, omnia sibi tradita in toto mundo gubernans. Adest autem ut liber-
rimum agens, pro suo placito.

Amplius.

Matth. 28.

Quicumque habet omnem potestatem in cælo & in terra, is adest quoque sua substantia omnibus in cælo & in terra, idq; patet ex regula: Enter Præsenter Deus est, & ubique potenter. Quia sunt coniuncta, & non disiuncta procul à se inuicem, ista diuina proprietates. Omnis potestas & Omnipræsentia.

Carni Christi in persona data est omnis potestas in cælo & in terra.

Ergo caro Christi adest omnibus creaturis in cælo & in terra, pro sua liberrima voluntate.

Coloss. 2.

Coloss. 2. In ipso (Christo) inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter, hoc est, substantialiter, personaliter, quia quod nunc personam dicimus, veteres Græci $\sigma\omega\mu\alpha\tau\iota\kappa\omega\varsigma$ dixerunt. Item corporaliter, id est, in proprio suo corpore. August. Epist. 49. ad Paulam: Primasius, substantialiter & realiter. Theophil. Non ut actus vel operatio quedam, verum ut natura & substantia, ac veluti corporatus, (sit venia dictioni) & una substantia cum eo, quod assumpsit. Oecum. hoc est, substantialiter, non solo habitu & figura, sicut anima in corpore. Item, secundum substantiam. Hinc est illa Argumentatio.

1. Omnis plenitudo diuinitatis est ubique Omnipræsens.

Sed omnis plenitudo diuinitatis habitat in carne, siue natura humana Christi $\sigma\omega\mu\alpha\tau\iota\kappa\omega\varsigma$, corporaliter, substantialiter, personaliter.

Ergo hac caro Christi, seu hac natura humana Christi, est ubique Omnipræsens, scilicet in hac persona diuina filij Dei, non extra eam.

Item.

2. Quidquid $\sigma\omega\mu\alpha\tau\iota\kappa\omega\varsigma$, personaliter, & inseparabiliter est unitum omni plenitudini diuinitatis filij Dei, id est ubique, Omnipræsens.

Se 15. Ratio est. Quia persona diuina filij Dei est ubique Omnipræsens, & quia non debet unquam separari aut diuelli natura humana assumpta, à persona filij Dei.

Sed caro Christi, seu humana natura Christi, est copulatio personaliter unita toti personæ filij Dei, seu ut hic dicitur, toti plenitudini diuinitatis filij Dei.

Ergo caro Christi seu natura humana Christi, est ubiq, seu Omnipræsens, scilicet in hac diuina personæ filij Dei, & non extra eam.

Eph. 4. Ascendit super omnes cælos, ut impleret O M N I A.

Eph. 4. & 1.

Heb. 7. Excelsior cælis factus, &c.

Heb. 7.

Ephes. 1. Omnia subiecit sub pedes eius. Item: Qui omnia in omnibus adimplet.

Lutherus ibi annotat: Adimplet) Christus est, & operatur O M N I A opera in omnibus creaturis. Ideo O M N I S C R E A T V R A plena Christo est, ita & Ecclesia ipsius plenitudo. Summa rei hæc est.

Quicumque implet O M N I A in omnibus, is est ubique, Omnipræsens omnibus creaturis, & utrunque quidem ibi dicitur, quòd omnibus creaturis præsens sit, & quòd in omnibus creaturis operetur.

Sed Christus, hoc est, Deus & homo implet omnia in omnibus, teste Paulo: loquitur enim hic de toto Christo. Atqui solus Deus non est Christus, ut & solus homo non est Christus, id quod sæpius est repetendum.

Ergo Christus Deus & homo, est ubiq, Omnipræsens omnibus creaturis.

Huc pertinet & illud Ioan. 5. Pater meus usque modò operatur, & Ego operor. Loquitur hic Christus de sua personæ, quæ est Deus & homo, & alibi dicit: O M N I A mihi tradita sunt à Patre. Mihi, hoc est, Christo homini. Item: Data est mihi (id est, Christo homini) O M N I S pote^{as} in cælo & in terra. Ioan. 5.

Iam verò si Christus Deus & homo in omnibus operatur, ut Christus ipsemet asseuerat,

Ergo Christus, Deus & homo, est ubique Omnipræsens. Agit autem diuina natura cum, in, per humanam naturam, assumptam in unionem personæ suæ diuinæ. Et sic proprietates essentielles suæ cuiusque natura manent saluæ, sine confusione aut immutatione naturarum, ac nihil prorsus impediunt unionem hanc personalem, neque communicationem Idiomatum diuinorum. Nec enim fit natura humana essentialiter Deus, aut diuina natura, neque econtrà, ut aliàs explicatur.

Sed non existimo huc adscribenda omnia testimonia sacra Scripturæ, luculenter docentia: Idiomatica diuinæ naturæ communicata esse humanæ naturæ, assumpta in unionem personalem filij Dei. Tantùm enim hic subsistendum esse censeo in hac propositione: De Omnipræsentiã personæ Christi, iuxta utramque naturam.

Ista itaque testimonia, quæ in medium attulimus, & argumenta inde extructa, statuo esse firma, certa, perspicua, adstruentia hoc Ecclesiæ Christi dogma: utramque Christi naturam, facta iuxta decretum & beneplacitum Dei unione hypostatica, esse ubique seu Omnipræsentem, saluo tamen exinanitionis statu.

Iam verò sponte ac libenter profiteamur, nos omnes Labyrinthos in hac controuersia emetiri, aut omnes subtilitates exhaurire, imò omnia Mystera Dei in hac parte perscrutari non posse. Perspicuè itaque & simpliciter, tantùm traditis & indicatis in sacris literis, & quæ inde bona consequentia sequuntur, insistimus, & attribuimus Christo Iesu Maiestatem & gloriam, quam ei quoque iuxta naturam humanam assumptam in unionem personæ diuinæ filij, Deus Pater pro sua Omnipotentia & liberrima voluntate dedit.

Nunc itaque Duce Christo Iesu, implente omnia in omnibus, reliqua ad Methodum institutam spectantia, in timore Domini prosequemur, non quidem pro altigradis, sed pro simplicioribus, ut res istas amplissimas & summam consolationem suppeditantes, aliquo modo in conspectu habere, atque addiscere studeant. Mystera autem istarum rerum, nostrum humanum captum excedentium,
in vita

in vita aeterna uberiùs addiscemus. Consistamus itaque cum reuerentia in hoc mundo, in reuelatis ac traditis à Deo.

Cauillationes quasdam carnales postea, expedita Methodica annotatione, paucis quoque diluemus.

Q V I D.

Omnipraesentia utriusque naturæ in Christo est, quòd persona filij Dei diuina cum natura humana, quam in unionem totius sue personæ inconfusè, absque conuersione inseparabiliter, & indistanter assumpsit, omnibus creaturis in mundo praesens est, eas perspicit omnes, omnia potest, & operatur in omnibus creaturis, quacunque vult, ad gloriam Dei, ad salutem piorum, & ad ultionem malorum.

E F F I C I E N S.

Omnipraesentiam in toto mundo, natura diuina Christi habet ex se, & per se. Quia filius Dei est ὁμοούσιος & coaeternus, & Coomnipotens Patri & Spiritui sancto.

At natura humana Christi habet omnipraesentiam in uniuerso mundo, non ex se, aut per se, non ab aeterno, sed habet eam ex unione cum persona filij Dei, quæ unio cæpit in tempore. Nam diuina atque aeterna filij Dei personæ assumpsit naturam humanam ex virgine Maria, in unionem totam suæ totius diuinæ personæ, idq; inconfusè, indistanter, & inseparabiliter. Qui igitur personam suam totam naturæ humanæ uniuert, is quoque simul ei dedit Omnipraesentiam in toto mundo. Nuspiam enim hæc diuina personæ in toto mundo, post unionem hypostaticam, vult existere sine assumpta natura humana. Nam alioquin esset separabilis ac dissolubilis ista duarum naturarum, diuinæ scilicet & humanæ, in unica personæ filij Dei, unio. De statu exinanitionis suo loco.

Neque verò nudam unionem hypostaticam humanæ naturæ, cum personæ diuinæ filij Dei, operatus est Deus, ita ut hæc personæ filij Dei duabus naturis duntaxat constet, diuinæ & humanæ, sed simul omnem plenitudinem diuinitatis, ipsaq; diuina Idiomatica, na-

natura humana (in arctissimam scilicet unionem personalem recepta) communicavit, eamque glorificavit, nec tamen natura humana in Christo, in Essentiam diuinam permutata est, nec habet eas diuinas proprietates essentialiter. Natura enim utraque in persona Christi, manet inconfusa, nec alia in aliam unquam mutatur, neque unius naturae essentialis proprietates fiunt alterius naturae essentialis proprietates, ut rectè explicant nostrae Ecclesiae.

M A T E R I A.

In primis hoc loco differimus de carne Christi, seu de humana natura Christi, id quod haud oscitanter obseruandum est. De Christi, inquam, carne agimus, non de carne extra Christum, seu extra unionem hypostaticam. De ea scilicet carne Christi, in qua omnis plenitudo diuinitatis habitat $\sigma\omega\mu\alpha\lambda\epsilon\gamma\omega$, id est, personaliter.

Diuina autem natura in Christo, ut est aeterna, coessentialis Patri & Spiritui sancto ab aeterno: ita habuit, habet ac retinet in omnem aeternitatem suas diuinas atque essentialis proprietates.

Est autem una persona Christi, Deus & homo. Nec sunt illae duae in unica Christi persona naturae diuellendae.

F O R M A.

In persona diuina filij Dei, natura humana est ubique, Omnipraesens, quia illi persona diuina personaliter unita est, & manet inseparabiliter, in omnem usque aeternitatem. Et sic utraque natura, nempe diuina & humana, in hac unica & diuina persona, est Omnipraesens.

Non igitur seiunctim, non seorsim, non separatim, caro Christi, seu natura humana Christi, est ubique seu Omnipraesens. Sed in persona Christi diuina, ut dictum, cui unita est personaliter, non inquam, extra hanc personam.

In toto mundo, natura Christi humana, unita persona diuina (hoc est, in caelo & in terra) ubique, seu Omnipraesens est.

Nec ut omnia in toto hoc mundo caro Christi, in hac persona diuina, cui indissolubiliter unita est.

Opera-

Operatur caro Christi omnia, in omnibus creaturis totius mundi pro suo placito, Ioan. 5. Ephes. 1. Sed non sola, sed in hac persona, in qua natura diuina, in unionem sua personæ assumpsit naturam humanam, & quidem operatur diuina natura filij Dei, in hac unione hypostatica, in, cum, & per humanam suam naturam, creando, conseruando, gubernando.

Omnem potestatem habet, & exercet humana natura Christi, et quidem in personali sua unione, in omnibus creaturis totius mundi, Matth 26. Psalm. 8. Ephes. 1.

Inuisibiliter, hoc mundo durante, caro Christi in persona diuina filij Dei, est ubique seu Omnipræsens, licet interdum pro suo liberrimo consilio, & placito, se alicubi conspiciendum oculis humanis præbeat, vel breuiter vel diu.

Non est modus Physicus, quo caro Christi in sua diuina persona filij Dei est ubique seu Omnipræsens. Quis igitur? Est modus, quem Deus nouit, & qui Deo placet, & quo potest efficere, ut in persona Christi utraq; natura, nempe diuina & humana, sit ubiq; seu Omnipræsens. Aliqui Doctores Ecclesiæ vocant cælestem, diuinum, supernaturalem modum. Tu autem homo quisquis es, hoc mysterium de modo, quo natura humana, in persona filij Dei, sit ubiq; seu Omnipræsens, non potes ingenio tuo assequi, neque lingua tua exponere. Quod autem hoc fiat, & quod in persona filij Dei fiat, cui natura humana personaliter unita est, scimus ex verbo Dei, quod annotauimus: Sed QVOMODO id Deus perficiat, Deo veraci & omnipotenti, tanquam mysterium Dei, humiliter permittendum est.

Non tamen per expansionem Christi caro est ubiq; seu Omnipræsens. Nam tota persona Christi est ubiq;, licet ea persona, non ita extendatur & expandatur, ut pannus longus per spacia longa extrahi solet.

Neq; tamen unquam fit exaquo natura humanam in Christo, licet natura Christi humana in persona filij Dei sit Omnipræsens. Nam manet natura Christi humana creatura finita, & nunquam fit infinita. Maiestatem autem & Omnipræsentiā habet à natura diuina filij Dei, cui personaliter unita est. DE

DE STATV EXINANITIONIS.

In statu autem exinanitionis, & admiranda dispensationis, verè filius Dei conceptus est in utero Mariae, & homo factus est, & non alibi: natus est in Bethlehém, & non alibi: Passus est in cruce, sepultus est, resurrexit ante portam Ierusalem, & non alibi: ascendit in cælum in oliueto, & non alibi, &c. Hæc ex Domini Dei nostri decreto, dispensatione, & beneplacito ita fieri debuerunt, & facta sunt. Et hæc mysteria Dei exhaurire non possumus, ac tantum subsistimus in hisce reuelatis, occlusis & repudiatis nostra cæca rationis cogitationibus, & somnijs, in hisce operibus diuinis, quæ verè sic acciderunt. Referimus itaque ista omnia ad istam Spiritus sancti sententiam. Citra controuersiam magnum est pietatis Mysterium, Deus manifestatus est in carne, & iustificatus est in spiritu, apparuit angelis, predicatus est gentibus, creditus est in mundo, assumptus est in gloria. Furor itaque ingens est, ex statu exinanitionis & actionibus ad eam pertinentibus, lacerare ac diuellere conari unionem personalem filij Dei cum natura humana.

FINES, EFFECTVS SVNT.

Gloria Christi, Saluatoris totius mundi, Philipp. 2. Dominus Iesus Christus in gloria est Dei Patris. Item: Dedit illi nomen, quod est super omne nomen. Hanc autem Maiestatem Iesu Christi, Dei & hominis, in nouissimo die uniuersum genus humanum suis corporalibus quoque oculis intuebitur, alij quidem cum gaudio & salute, alij verò cum terrore & interitu.

Salus hominum in Christum credentium in hac vita per verbum & Sacramenta, eorumq; defensio, & post hanc vitam, restitutio & instauratio totius hominis in integrum, & translatio eius in vitam beatam & cælestem. Matth. 28. Ecce ego vobiscum sum usq; ad consummationem seculi.

Impiorum hominum & cacodæmonum repressio, & pœna in hoc mundo, & in nouissimo iudicio validissima abiectio, & cruciatus perpetui, Matth. 25. Vt

Ut totum hoc mundi opificium, & omnes creaturæ in eo, parent voluntati ac placito Iesu Christi, Deo & homini. Creavit filius Dei totum mundum, & creavit imprimis propter homines & angelos, quos precipuos, utpote rationales creaturas, voluit esse cultores Dei. Huic igitur Filio Dei, creatori & conseruatori rerum omnium, quia homo factus est, etiam quâ homo est, omnis potestas data est in cælo ac terra, hoc est, in toto mundo, super omnes creaturas in cælo, ac sub cælo existentes. OMNIA inquit, mihi (scilicet homini Christo) tradita sunt, nimirum in toto isto mundo, quia de hoc agitur. Hic igitur Christus totum etiam mundum à vanitate, cui subiacet propter peccata hominum, liberabit.

Cultus & inuocatio Iesu Christi, Dei & hominis in una persona, Philip. 2. Deus exaltauit illum & donauit ei Nomen, quod est super omne nomen, (scilicet, quod homo est Deus) ut in nomine Iesu (Nota, Dei & hominis, una adoratione) omne genu flectatur, cælestium, terrestrium, & infernorum, Dan. 7. Hebr. 1.

Est itaq; ingens consolatio, quod certò scimus, Iesum Christum nostrum Saluatorem, non solum presentem adesse nobis, in eum credentibus, ubicunque in hoc vasto mundo dispersi sumus, sed etiam nosse omnes impios, ac Diabolos in toto hoc mundo, eisq; metas statuere, quò usque scire debeant, & pœnas infligere. Imò etiam presentem esse omnibus creaturis in toto hoc mundo, & omnem in omnes creaturas habere & exercere potestatem, non solum scilicet in homines, angelos, Diabolos: sed in omnia quoque Elementa, & in omnia in eis contenta, in astra cæli, & quicquid est creatum, ita ut nihil excipiatur.

COMPOSITA ET ALIA.

Esine caro Christi in omnibus lapidibus, folijs arborum, &c.

Respondetur. Ipsa filij Dei persona non est in lapidibus & folijs arborum, &c. sicut est in hominibus per gratiam. Sed adest tamen presens cunctis creaturis, nouit ac perspicit omnes creaturas, regit

E

omnes

omnes creaturas pro suo beneplacito, & vel benefacit eis ex gratia, vel punit eas ex ira. Sic caro humana, assumpta in unionem personae filij Dei, inseparabiliter, & indistanter in illa persona diuina adest creaturis & regit eas. Non quidem ex se, & per se, sed natura diuina in hac unione hypostatica, in, cum, per humanam naturam id prestat. Calumnia itaque est prestigiorum, affectatam suam malitiam haud obscure prodentium eblaterare, quasi à nobis caro Christi, omnibus lapidibus, omnibus folijs arborum, omnibus bufonibus, &c. includatur. Quod autem aliqui dixerunt: Deum in omnibus creaturis esse, manifestum est, quod nequaquam voluerunt Deum inclusum esse omnibus lapidibus, & folijs arborum, sed sic exposuerunt suam mentem, quod Deus insit et adsit omnibus suis creaturis: quod quidem principium est immotum.

Quid sentiendum est de hac locutione; Torus Christus est ubique, sed non totum.

Respondetur. In hac quidem causa sunt mera ludibria, quibus Christus, Deus homo, irridetur. Imò nefarie discerpit ista prestigiosa locutio naturas in Christo, quasi non totum Christi, hoc est, utraque natura diuina & humana in hac persona sit ubique. Ista autem naturarum in Christo diuulsio, est reuera scelus Nestorianum. Sed inquis: Magni viri sic locuti sunt. Respondeo: Et male sunt locuti: Sacra autem Scriptura non sic loquitur.

Duplices Sa-
cramentarij.

Cingliani
seu Calu-
stiani.

Duplices porrò sunt hodie in Ecclesia Christi, qui à Pontificia Ecclesia sese publica doctrina & ceremonijs segregarunt, hanc doctrinam de Ubiquitate carnis Christi infestantes, nimirum: Primum Sacramentarij vulgò dicti, qui in vniuersum, sine vllò discrimine, Ubiquitatem seu Omnipresentiã carnis Christi in toto mundo, in Testamento Dominico, & in Ecclesia sua, pertinacissimè negant, atque contendunt ore ac scriptis: Corpus Christi duntaxat in caelo sursum iam contineri, vsque ad nouissimum diem: Sola autem efficacia sua adesse. Item, solam ipsius diuinitatem ubique & Omnipresentem esse, neque esse necesse, ut ubi sit diuina Christi natura in toto mundo, ibi sit quoque eius natura humana. Omnem potesta-

terio

tem carni Christi attribuunt (limitatam tamen) sed non Omnipresenciam apud omnes creaturas, neque Omnipresenciam in sacra Cæna, aut in Ecclesia sua. Item: Negant, Deum omni sua sapientia & potentia efficere posse, ut corpus aliquod humanum, finitum, possit esse simul & semelin omnibus, aut in diuersis locis. Etsi autem ab Orthodoxis, & rectè sentientibus in Ecclesia Christi, satis superquæ moniti, ac testimonijs sacra Scripturæ edocti sunt complures nunc annos: tamen veluti surda aspides in suis erroribus perseverant, expectantes scilicet iudicium præsentis & Maiestatici Christi in nobis, id quod eis non futurum est suane.

Deinde verò alij exorti sunt, quos aliqui Semisacramentarios ^{Semisacramentarij} vocitant. Hi discriminant ubiquitatē, seu Omnipotentiam carnis Christi. Nam clarè asseuerāt ubiquitatē seu Omnipresenciam carnis Christi in usu S. Cæna: quòd ubicung. in hoc mundo cæna Domini usurpatur, ibi sit præsens verū, substantiale corpus Christi, quod ore quoq. comedatur. Item asseuerant ubiquitatem seu Omnipresenciam carnis Christi in sua Ecclesia, et credentibus. Sed ubiquitatē seu Omnipresenciam carnis Christi in toto mundo, apud omnes creaturas, pernegant. Et hinc contendunt, Solam diuinitatem Christi esse ubiq. apud omnes creaturas, & NON humanitatē Christi. Et ponunt hinc etiā istā regulam suā: Vbi vna Christi natura est in mundo, ibi non necesse est alterā quoq. eius naturam esse. Item: Omnipotentiam quidem super omnes creaturas concedunt esse datā carni Christi, sed Omnipresenciam apud omnes creaturas, NON item. Dicunt: Deū posse pro sua Omnipotentia efficere, ut vnū corpus finitū sit in pluribus locis simul, idq. velle, ac perficere in carne Christi, in Testamento dominico, & in sua Ecclesia, sed NON velle apud omnes creaturas esse illud suum corpus, quia id non sit claris verbis expressum in sacris literis. Rationibus aut pro sua opinione confirmanda, vtuntur penè ijsdem, quibus Sacramentarij. Dicta S. Scriptura, quæ contra hoc dogma proferuntur, perinde vt Sacramentarij eludere nituntur. Ex hisce etiā quilibet Christianus mediocri attentione obseruare ac notare poterit, in quibus Sacramentarij, & Semisacramentarij noui inter sese consentiant vel discrepent?

Sed in initio quasdam Sacramentariorum obiectiones oculis atq; iudicio omnium in Ecclesia Dei uiuentium exponemus. Deinde quoque Semi sacramentariorum elusiones, quibus sua spectra inserunt, planè ac dilucidè subiiciemus. Dominus Deus luce Spiritus sancti nobis praebeat, & nos clementer ducat & regat, ut ex illis salebris tenebrosis eluctemur, & sanam atque rectam Ecclesiae Dei doctrinam planè profiteamur, & constanter retineamus, Amen.

Obiectiones quaedam Sacramentariorum,

I.

Sola Essentia diuina est ubiq;

Solius Dei proprium est, suam Essentiã esse Vbique, seu Omnipræsensem.

Sed humana Christi natura non est Deus Essentiã ipsã, sed est & manet natura humana, etiam in ipsa vnione hypostatica & glorificatione, creatura.

Ergo humana Christi natura in illa ipsa vnione hypostatica, non est vbique seu omnipræsens.



*R*espondetur ad Maiorem: Solius Dei proprium est, suam Essentiã esse omnipræsensem, scilicet ex se, & per se. Sed pro suo Omnipotente beneplacito, potest hoc suum proprium communicare illi creaturae, cui libuerit: ita tamen, ut maneat essentiale proprium solius Dei, & non fiat essentiale proprium creaturae.

Quod ad Minorem: Humana Christi natura non sit unquam Essentiã ipsa Deus, verum est: attamen homo est Deus in persona filij Dei, cui personaliter vnitus est, inconfusis atq; impmixtis naturis. In hac aut personali vnione, Filius Dei communicat suae humanae naturae, inseparabiliter & indistanter sibi vnita, sua diuina idioma, inter quae etiam est Omnipræsencia, quia omnis plenitudo diuinitatis habitat in Christo corporaliter, idq; non, ut fiat unquam essen.

essentiale proprium naturæ humanæ (alioquin enim humana natura in diuinam naturam mutaretur, id quod non fit) sed ut natura diuina Filij Dei cum natura humana, sibi personaliter, & indissolubiliter & indistanter vnita, sit vbiq̃ seu Omnipræsens. Sic igitur humana in Christo natura non habet Omnipræsentiã ex se, aut per se, aut essentialiter, sed habet ex vnione hypostatica, per plenitudinem diuinitatis in se habitantem. Ista postea vberius explicantur. Ruit itaque conclusio obiectionis.

II.

Finitum ac naturale corpus, non potest esse vbiq̃ seu Omnipræsens.

Finitum
non potest
esse vbiq̃.

Sed corpus Christi est finitum, ac naturale, & sic manet in perpetuum.

Ergo corpus Christi non potest esse vbiq̃ seu Omnipræsens.

Respondetur ad Maiorem. Solum ac nudum corpus ex se, & per se non potest esse vbiq̃, hoc est certum. Est autem hæc Regula Physica tantum, & attendendum est, ne nimis procul extendatur. Nam itidem regula physica est: Finitum non potest personaliter iungi personæ diuinæ. Eiusmodi igitur Physica principia si voles ad opera Dei, & articulos fidei applicare, quid retinebis in Symbolo Christiano? Maneat itaque Maior in Physica, & sinat Deo opera peculiaria, non inclusa Physicis Principijs, salua & inconcussa.

Quod ad Minorem: Corpus Christi, non est nudum, aut solum corpus, ut nostra corpora sunt, sed est corpus filij Dei, quod in personæ suæ diuinæ vnionem inseparabiliter & indistanter suscipit, & omnis plenitudo diuinitatis in Christo habitat. Ergo licet ex se, & per se, non habeat Omnipræsentiã: tamen habet in ea inseparabili, & indistanti vnione personali filij Dei. Sunt igitur in hac argumentatione quatuor termini.

Et quid volunt arguari Sacramentarij? An finitum, alioquin infinito contra omnium rationalium creaturarum æstimationem.

De Omnipræsentiâ

non potest personaliter iungi atque uniri? Atque Deus pro sua liberrima Omnipotentia, finitum ita uniuertit infinita persona filij Dei, ut Deus & homo sint unum $\nu\phi\iota\sigma\alpha\ \mu\epsilon\lambda\omega\upsilon\phi$. Hac vera sunt, licet ratio humana sine fine clamitet: Finitum infinito personaliter uniri non posse. Nam etsi tuum caput hoc non admittit, neque capit, tamen Omnipotens Deus hoc perfecit, & sacra litera id ipsum attestantur, & manet Deus verax, tu autem mendax. Sic & in hac inseparabili unione duarum naturarum, diuina scilicet & humana, in persona diuina filij Dei, natura humana est Omnipræsens, non quidem ex se, aut per se, sed quia hac persona diuina est Omnipræsens: neque est hac persona filij Dei in hoc mundo vsquam absque natura humana, alioquin fieret diuulsio naturarum in Christo, & alicubi in mundo esset persona filij Dei præsens, ubi non esset natura humana assumpta simul præsens.

III.

Humanitas
Christi non
est immen-
sa & infi-
nita.

Si caro Christi foret Omnipræsens in persona cum natura diuina Christi, tum necesse esset, carnem Christi esse immensam & infinitam.

Sed caro Christi in unione hypostatica non est, neque fiet vnquam immensa, aut infinita.

Ergo caro Christi in unione hypostatica non est Omnipræsens.

Respondetur. Neganda est Maior. Non est enim istius hypotheticæ firma connexio, & sic est fallacia secundum non causam ut causam. Nam est caro Christi in persona filij Dei Omnipræsens, & tamen non necesse est, eam immensam & infinitam esse, vel fieri, quemadmodum finita humana natura assumpta est in unionem personæ filij Dei infinita atque immensa, & tamen non necesse fuit, aut erit vnquam, eam Iesu Christi humanam naturam fieri immensam atque infinitam. Et sic concidit ratiocinatio.

Porro, quod tantopere vociferantur cauillatores, statui expansionem corporis Christi in infinitum, quia ei attribuitur Omnipræsentiâ,

fentia, non quidem per se, sed in hac persona, cui unita est personaliter: considerent non nihil suam vanitatem, quod scilicet expansionem somnient ad Omnipresenciam omnino necessariam esse, cum tamen persona filij Dei sit Omnipresens absque omni expansione. Sic etiam humana in Christo natura, infinita personæ filij Dei sine expansione, verè, realiter, inseparabiliter, indistanter est unita, ut dictum est: id quod criminatores illi inficiari nequeunt. Sinant itaque naturam Christi humanam in hac persona filij Dei esse ac manere, ubicunque ea persona in toto mundo est.

III,

Si caro Christi est Omnipresens, exequantur duæ naturæ in Christi persona.
Sed naturæ in Christo non sunt exæquatæ, neque exæquabuntur in æternum.
Ergo caro Christi non est ubique seu Omnipresens.

Exæquatæ
nem natu-
rarum inde
sequi.

Respondetur. Neganda est maior, quia in hypothetica nulla est connexio. Nam caro Christi est Omnipresens: & tamen non exæquantur naturæ in ipso. Ratio est, quia natura humana, unita personæ diuinæ filij Dei, non habet Omnipresenciam istam, ut & Omnipotentiam, ex se aut per se, nec habet essentialiter, sed habet ex unione personali, in qua est, ubicunque in toto mundo hæc persona diuina est, quia ei personaliter, inseparabiliter & indistanter unita est, ac natura diuina filij Dei agit in, cum, per assumptam suam naturam humanam. Neque est hæc fingenda, aut extimescenda vlla exæquatio naturarum.

V.

In personam assumi, & Omnipresentem esse non sunt idem.
Sed natura humana Christi duntaxat in personam filij Dei assumpta est.
Ergo natura humana Christi non est Omnipresens.

In perso-
nam assu-
mi & ubi-
que esse,
non sunt
idem.

Respon-

Respondetur ad Maiorem: Et separa, diuelle, distrahe, dilaceratu bone vir personam filij Dei, & Omnipresentiam. Quomodo stabis coram Deo & Ecclesia? Nos verò credimus, illa sic esse iuncta in filio Dei, ut persona ipsius non sit sine Omnipresentia, & Omnipresentia ipsius non sit sine eius persona. Nam Deus est Omniprensens. At filius Dei est Deus, coessentialis & coeternus Patri, & Spiritui sancto.

Minor quoque falsissima est: quasi humana natura in Christo duntaxat sit persona communicata. Nam Paulus clarè assueverat: Omnem plenitudinem diuinitatis in Christo habitare $\omega\mu\alpha\lambda\eta\omega\varsigma$, Coloss. 2. Annon igitur Omnipresentia ad plenitudinem diuinitatis pertinet? Et Christus ipse inquit: Omnia sibi tradita esse à Patre. Datam sibi esse omnem potestatem in cælo & in terra. An verò ista sine Omnipresentia administrari possunt? Nequaquam. Nusquam enim hoc docet sacra Scriptura.

VI.

*Creatura
humana
tantum
creata & fi-
nita com-
municari
posse.*

Creatura humana tantum creata & finita bona donari & communicari queunt.

Sed humana Christi natura est creatura.

Ergo humana Christi natura tantum creata & finita bona donari, & communicari queunt.

Respondetur. Maior de nuda, & sola creatura dicitur. At Minor de tali creatura loquitur, quæ assumpta est in unionem diuinae personae filij Dei. Ergo sunt quatuor termini. Deinde verò, Maior non est vera. Nam Spiritus sanctus datur credentibus in Christum, atque in eis habitat, (quamuis non ita, ut cum eis una persona fiat, item separabiliter) sed Spiritus sanctus, non est creatum aut finitum bonum.

Quod ad Minorem: Humana Christi natura est quidem creatura, sed est unita personaliter filio Dei. Non tantum itaque personam diuinam accepit ista humana Christi natura, sed etiam Spiritum sanctum sine mensura, & omnem plenitudinem diuinitatis, item,

item, omnem potestatem in cælo & in terra: item, sessionem ad dexteram Maiestatis, iudicium super omnes homines, &c. Hac autem non sunt finita & creata dona & bona, id quod omnes sani coguntur fateri. Equidem & finita atq; creata dona, iste homo Deus, in ista persona accepit maiora & excellentiora, quàm omnes aliæ creatura, sed præter ea accepit illa diuina, ut diximus.

Diabolicum igitur prorsus est, naturæ humanæ in Christo adinere diuina illa dona, quæ neque creata, neque finita sunt.

VII.

Atqui Christus in cruce passus est iuxta carnem verè, & non alibi.

Ergo caro Christi non est vbique, seu Omnipræsens, alioquin caro Christi fuisset alicubi, vbi non pateretur, & alicubi etiam, vbi pateretur.

In cruce
passus ergo:
non fuit
alibi.

Respondetur. Verè Christus in cruce passus est iuxta carnem, & non alibi. Deinde verò & hoc firmiter tenendum est, non passam esse carnem Christi extra personam diuinam, cui vnita est, requiescente tamen verbo, ut Irenæus dixit, hoc est, non exerente suas vires, ut quidem potuisset, in impedienda passione. Hac certa, vera, immota sunt. Vtremque autem & profundius, in hac exinanitione filij Dei, ac dispensatione diuina, non fas est nobis progredi. Est enim mysterium Dei, quod nulla creatura exhaurire poterit. Proinde hic nostras cogitationes sistamus in honorem Dei, & Christum humiliatum potius adoremus, quàm temerè eius secreta inuestigamus. Non enim vnio personalis hic lacerata est in Christo, & tamen Deus Omnipotens ea perfecit in cruce cum carne Christi, quæ voluit. Nec tu debes scrutari illud arcanum, quòd hic Deus alibi fuerit, vbi passus non sit. Acquiescamus, inquam, in statu exinanitionis Christi, in quo salus nostra parta est, nihilq; de vnione eius hypostatica, & data Maiestate, & Omnipotestate ei detrahamus.

Nunc etiam eorum argumenta, & elusiones quorundam Scripturæ sanctæ dictorum, Spiritu sancto nobis pralucente per verbum

F bum

bum suum, expendemus, qui à Sacramentarijs in quibusdam dissi-
dentes, in eo tamen conspirant, quòd caro Christi, licet plenum ha-
beat imperium & dominatum super omnes creaturas in ipso actu
positum, tamen non sit Omnipræsens omnibus creaturis.

VIII.

Non extare
expressis
verbis in sa-
cris literis.

Quidquid expressis verbis non extat in sacris autenti-
cis literis, præsertim de articulis fidei, id non est am-
plectendum, non docendum, non asseuerandum.

Sed ista verba non extant in sacris literis: Caro Christi
est ubique seu Omnipræsens apud omnes creaturas.
Ergo hoc dogma non est acceptandum, non docen-
dum, non defendendum.

*Respondetur. Maior non est plena. Nam deest hoc membrum:
aut certis & firmis consequentijs, ex verbis sacra Scriptura extru-
ctum est. Nam Paulus precipit, ut doctrina sit analogica fidei, hoc
est, consentiat verbis sacra Scriptura. Deinde multa extant in Ec-
clesia Christi rectè sentiente sententia, quæ non uti verba ipsa so-
nant, leguntur in sacris, sed res ipsa tamen in eis sunt comprehen-
sa, & bona ac firma ratiocinatione, & consequentia, ex dictis scri-
ptura extructa sunt, ut Augustinus inquit: Dicimus tres esse perso-
nas diuinitatis (ὁμοούσιος) non quia Scriptura sic dicit, sed quia
Scriptura non contradicit. Sic nostra Ecclesia docent: Sola FIDE
in Christum iustificamur, cum tamen vox SOLA, non extet in
sacris literis. Sed equipollentes in ijs extant, ut sine operibus, gra-
tis. Item, ἐὰν μὴ. Item, ex firmissimis consequentijs id adstruitur.*

*Tertiò notum est, hoc omnibus præstigiatoribus esse familia-
re, ut expetant atque urgeant expressa verba scriptura sibi com-
monstrari, se cupidissimos esse ea audire ac sequi, consequentias ve-
rò aiunt sese abhorrere, ac nolle audire. Memini me in proxima
mea Ecclesiarum huic inspectioni commendatarum visitatione, ha-
buisse quosdam Anabaptistas, qui mira modestia significatione po-
stulabant, ut sibi ista verba in sacra Scriptura commonstrarentur:*

Baptis

Baptisate infantes. Cum verò eis verba producerentur: Baptisate omnes Gentes, ibi regerebant, non hic infantes nominari. At Ecclesia Christi rectè hic consequentiam texit: Omnes Gentes mandato Christi sunt baptisandæ: Ad Gentes etiam infantes pertinent. Ergo & infantes sunt baptisandi. Item ij sunt baptisandi, qui regeneratione indigent. Sed infantes in peccato concepti & nati indigent regeneratione. Ergo infantes sunt baptisandi. Item: Christus iubet pueros ad se venire, & asseuerat, talium esse regnum cælorum. Ergo infantes non sunt arcendi à Baptismo, in quo beneficia Christi eis applicantur, & regno Dei inseruntur. Ista igitur consequentia ex dictis Scriptura firma ratione exstructa, non sunt aspernanda. Verum quidem est, ineptas aut falsas consequentias in rebus fidei neutiquam approbandas esse. Sed iusta ac firma ratiocinationes aut consequentia, ex dictis Scriptura absque omni fraude desumpta, non sunt improbanda.

Quod ad Minorem: Negatis ista verba: Caro Christi est ubique seu Omnipræsens apud omnes creaturas, in sacris literis extare.

Ad hoc igitur respondetur, primùm, neque vestra verba, que asseritis ac propugnatis, nempe: Caro Christi NON est ubique, seu NON est Omnipræsens apud omnes creaturas, sic in sacris literis inueniri, aut legi. Monstrate igitur vos hanc negatiuam in verbo Dei? Item, nec illa exclusiua in sacris literis extat: SOLA Omnipotentia, dominatus, plenum imperium, TANTVM est datum etiam humana nature in Christo, & NON simul Omnipræsentia. Vbi verò ista vestra verba in Biblijs sacris leguntur? Nonne & vos hac in parte meras consequentias crepatis, quas tamen alijs prohibetis?

Item, ubi ista verba vestra, uti vos profertis, in sacris literis extant: Caro Christi est Omnipræsens in usu sacrae Cænae, & in Ecclesia: sed non apud omnes creaturas? Ibi enim excluditis Omnipræsentiam carnis Christi.

Deinde Minorem negamus. Nam hæc ipsa propositio constat manifesto Dei verbo, & bonis ac firmis ratiocinationibus seu consequentijs, ex certis & luculentis sacra Scriptura dictis depromptis, ut: Ascendit super omnes cælos, ut omnia impleret. Item, ut omnia in omnibus impleret. Hæc dicta & præsentiam & efficaciam Christi in omnibus creaturis important, iuxta utramque naturam, nec patimur nobis ista illustria dicta corrumpi istâ humanâ glossâ: excipe, scilicet Omnipræsentiam, quia sine hac exceptione Paulus loquitur. Plura testimonia supra, in questione an sit, adscripta sunt.

Pag. 21.

Rationes
firmissimæ.

Deinde ratiocinationes istæ firmæ sunt.

1.

Christus est Deus & homo, & sunt in unica diuina persona inseparabiliter & indistanter unita, diuina & humana natura Christi. Sed Christus Deus est ubique. Ergo & Christus homo est ubique. Quia non sunt duo Christi, sed unus Christus, Deus & homo.

2.

Item: Persona filij Dei est ubique. Sed natura humana, assumpta est in unionem istius personæ filij Dei. Ergo ubicunque ea persona filij Dei est in hoc mundo, ibi est & humana natura.

Abfurda &
falsa do-
gmata, que
sequuntur
ex Semifa-
cramenta-
riorum do-
ctrina.

Si caro Christi in persona filij Dei non est ubique seu Omnipræsens apud omnes creaturas, tum discernenda sunt natura Christi, quod facinus abhorret tota Christi Ecclesia: Et sunt noua dogmata statuenda, verè abominabilia, ut: Vbi una Christi natura est in mundo, ibi non necesse est alteram quoque naturam esse. Deitas Christi in mundo est, ubi humanitas Christi non est. Imperium plenum habet caro Christi super omnes creaturas, sed non est præsens creaturis omnibus sibi subiectis, &c.

1.

Repetit ar-
gumenta
pro ubiqui-
tate huma-
nitatis
Christi.

Omnipotentia Dei & Omnipræsentia Dei, coniuncta sunt, non sunt diuulsa, aut procul à se inuicem remota. Sed Omnipotentia Dei est carni Christi data. Ergo & Omnipræsentia.

2.

Item: Omnes creaturae sunt Christo subiecte, & plenum habet imperium super omnes creaturas, etiam iuxta humanam naturam in illa unionem hypostatica. Ergo etiam eis omnibus adest,

adeſt, ſeu Omnipreſens eſt iuxta humanam ſuam carnem unitam verbo.

Item, Caro Chriſti ubique ſeu Omnipreſens eſt in uſu Cœnæ ſacræ, ubique ea in terris diſpenſatur, & in Eccleſia, ubique ea in orbe terrarum, aut in cœlis degit, id quod iſti Semiſacramentarij ultrò concedunt. (Nam Sacramentarij & hoc inſiciantur) Cur igitur Chriſto detrahatur Omnipreſentia apud omnes creaturas? Conſtat enim, nuſquam in ſacris literis iſtam exceptionem atque ſecluſionem extare, ſcilicet: Sed non apud omnes creaturas eſt caro Chriſti ubiq; ſeu Omnipreſens.

Si hominum ſuffragia, poſt testimonia verbi diuini, etiam aliquem reſpectum habent, Lutheri hac de re doctrinam, quia conſentanea eſt ſacris literis, ut de alijs excellentibus doctoribus Eccleſiæ Chriſti, hoc noſtro ſeculo hîc nihil dicam, non aſpernamur. Sed noſtra fides in tantis rebus non nititur authoritate aliqua humana, verum ipſo Dei verbo, & quæ inde recta & firma conſequentia ſunt extructa.

Acquieſcimus etiam in Formula Concordiæ, rectè & piè conſtituta, cui ſubſcripſimus, eandem doctrinam profitente.

Sed plures ratiocinationes, ex dictis Scriptura illuſtribus productæ, ſuprà in Quæſtione an ſit, ſunt annotatæ. Pag. 21. 22.
23. 24.

Iacet itaq; primarium illorum nouorum doctorum hac in parte argumentum, ad quod ferè perpetuò recurrunt.

IX.

Quicquid ſacræ literæ tribuunt carni Chriſti, id T A N T V M ei eſt tribuendum, & adſcribendum, & non ampliùs.

Sed ſacræ literæ T A N T V M attribuunt carni Chriſti omnem poteſtatem, dominatum, imperium plenum ſuper omnes creaturas, & N O N Omnipreſentiam apud omnes creaturas.

Ergo caro Chriſti non eſt ubiq; aut Omnipreſens apud omnes creaturas.

Sacræ literæ quid tribuant humanitati Chriſti.

F 3

R ſpon-

Respondetur. Declarationis gratiâ Maiori addendum est, vel explicitè vel implicitè. Nam non rarò quædam verbis Dei insunt, quæ non ita apertè exprimuntur. Equidem quando Deus inquit: Ego Deus Omnipotens: nemo est tam profanus, ut asserat, ibi excludi Omnipræsentiâ Dei. Imò norunt & credunt omnes p̄j, quando legimus Deum Omnipotentem, aut profiteamur, nos credere in Deum Omnipotentem, tum nos simul credere & profiteri, in hac Dei Omnipotentia & Omnipræsentiâ Dei simul comprehensam esse. Loquimur autem hîc potissimùm de Omnipræsentiâ in suis creaturis.

Deinde Minor est palàm falsissima asseueratio. Nuspiam enim sacra litera addunt: TANTVM. Deinde nuspiam sacra litera exclusionem istam adiungunt: Et NON Omnipræsentiâ apud omnes creaturas. Istam autem verborum Dei tam manifestam depravationem, nemo pius parui momenti potest estimare. Vox enim ipsius Dei est, ne quid addatur, vel dematur verbo Dei. Deuter. 4. Sed isti homines ex proprijs capitibus addunt: TANTVM. Et postea subtrahunt istis dictis Omnipræsentiâ, ubi Deus ipse istam exclusionem non expressit.

Omnipotentia autem Dei est humana in Christo natura data, & habet dominatum et imperium plenum, (non scilicet iure tantum, sed etiam in actu) ut illi ipsi doctores fatentur, & res manifesta ac certa est. Ergò etiam Omnipræsentiâ in illa omnipotentè dominatione & gubernatione habet. Vtraque enim sunt diuina per se Idiomata: Omnem potestatem habere, ac dominari in omnia: & Omnipræsentiâ habere in omnibus sibi subiectis creaturis. Iam quia vnum, Deus pro suo beneplacito, & omnipotente virtute carni Christi, personaliter vnitæ filio Dei, dedit: Ergò & alterum dedit. Et quando Scriptura sacra vnum nominat, comprehendit simul & alterum, quia ista diuina Idiomata sunt coniuncta, & non disiuncta: Dominatio scilicet in omnes creaturas, & in præsentia apud omnes creaturas.

Quas

Quando igitur legimus: Christo datam esse omnem potestatem in cælo & in terra: Tradita ei esse omnia: Dominari omnibus: Implere omnia etiam quâ homo est, seu iuxta humanam naturam, unitam personæ filij Dei, tum sciamus & statuamus, NON excludi, sed includi ista locutione, Omnipræsentiam carnis Christi apud omnes creaturas. Synecdoche itaque hîc tenenda, credenda & defendenda est.

Addo insuper & hoc: Omnis dominatio in actu posita, requirit præsentem Dominatorem, vel in propria persona, vel in alia persona, vel personis, quibus vices Domini commendantur. Neque inferior est Deus Dominis mundanis. Item, caro Christi euectâ est ad dexteram Maiestatis. Sed caro Christi in actu ipso dominatur omnibus creaturis. Ergo & præsens est omnibus creaturis, quia ad hanc uniuersalem gubernationem omnium creaturarum non indiget vicario, aut locum tenente.

Iacet itaque & hoc secundum istorum hominum argumentum, ac deprehenditur in manifesta deprauatione verbi diuini, id quod ingens peccatum est.

X.

Tantum ea asseueranda, & docenda sunt, quæ sunt reuelata in sacris literis.

Carnem Christi esse ubique, aut Omnipræsentem apud omnes suas creaturas, non est reuelatum in sacris literis.

Ergo carnem Christi esse ubique, aut Omnipræsentem apud suas creaturas, non est asseuerandum, neque docendum,

Respondetur. Primum vides, istos homines subinde ad primam illam argumentationem recurrere, in quam proram & puppim sua causa constituunt, sed ea satis dilucide & neruose est refutata.

Deinde si Minor constaret: Cur ergo vos tam audacter negatiuam pronuntiatis: Caro Christi NON est ubique, aut Omnipræ-
sens

Non esse reuelatum in sacris literis.

sens omnibus suis creaturis? Neutrum enim erat proferendum. Sè ista res non esset reuelata sacris literis.

Tertiò, nos autem constanter negamus Minorem. An verò non lucebit Sol, etiamsi lippientes aut cæci vociferentur, se non videre Solem? Annón Osiander quoque clamabat: Se non vidisse, neque legisse in Scriptura sacra: Remissionem peccatorum nostram dici coram Deo iustitiam? Num propterea tota Christi Ecclesia in hac doctrina cæcutiret? Sic si istis præsentibus hominibus non est reuelatum in sacris literis, & non vident: Carnem Christi esse ubique, & omnipræsentem apud omnes suas creaturas sibi subiectas, & in quas ipso actu exercet plenum imperium: nobis tamen Dei beneficio, est reuelatum in multis sacræ Scripturæ dictis, quibus fidem habemus, utpote: Ascendit super omnes cælos, ut impleret omnia: Ut omnia in omnibus impleret: Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra, &c. Hic per Spiritum Dei cernimus, & dominationem ipso actu attribui carni Christi in omnibus creaturis, & simul omnipræsentiam apud omnes creaturas. Quia dominatio omnium creaturarum complectitur simul præsentiam apud omnes creaturas, nec debent diuelli.

XI.

Christum &
Apostolos
ita non locu-
tes.

Huc pertinet & illa cauillatio:

Tàm disertum fuerunt Christus & Apostoli, ut potuissent, si voluissent, claris verbis dicere: Caro Christi est ubique seu Omnipræsens apud omnes creaturas.

Sed hoc non fecerunt.

Ergò hæc sententia repudianda est.

Respondetur. Adhuc in sua illa prima malè sonante chorda oberrant isti homines. Deinde emulantur Sacramentarios, qui & hic, & in negotio cænæ Dominicæ, eadem subinde recantant: Tàm scilicet disertum fuisse Christum, ut potuerit, si voluisset, claris verbis dicere: ore verum ac præsens corpus Christi tàm ab infidelibus, quàm à fidelibus comedi in usu sacra Cænæ.

Sed

Sed non sic locutum esse Christum.

Ergo hanc sententiam reputandam esse.

Verum isti homines os Dei reformant, eique volunt sua verba Præscribere Deo volunt Sacramentarij verba
præscribere & dictare, & in summa, Deum ad sua verba, quæ ipsi
ebuccinant, alligare. Sed non sic Deo visum fuit. Sciuit enim
Deus, quomodo vellet verba Testamenti sui enunciare, videlicet:
Accipite, comedite, hoc est corpus meum. Non dixit: Hoc significat
corpus meum. Non dixit: Impij non comedunt corpus meum, ut
Sacramentarij pro suis capitibus præscribunt, & expetunt. Sic et-
iam in hac parte, Deus factus homo dixit: Data est mihi omnis po-
testas in cælo & in terra. Spiritus sanctus dixit: Ascendit super
omnes cælos, ut impleret omnia, &c. Ista nobis de dominatione car-
nis Christi in omnibus creaturis, & de Omnipræsencia eius apud
omnes creaturas, sufficiunt, licet non sint ad capita contraria asse-
rentium efformata.

XII.

Natura quæ non existit sua substantia in singulis crea-
turis, in impijs hominibus, in sole, stellis, arbori-
bus, &c. hæc non est sua substantia præsens omnibus
& singulis creaturis, etiamsi imperium habet ipso
actû in omnes.

Sed contradicentes dicunt: naturam humanam vnitam
λόγῳ, non existere substantia in omnibus creaturis,
in angelis, in hominibus, in stellis, herbis, in arenis
maris, &c.

Ergo humana Christi natura, sua substantia non est præ-
sens omnibus & singulis creaturis extra Ecclesiam,
licet & imperium plenû obtineat super omnes crea-
turas.

Respondetur. Maior non est verbum Dei clarum & expressum,
neque vlllo dicto sacræ Scripturæ, neq; vlla firma ratiocinatione aut
consequentia euidenter probari potest. Deus autem ipse adest suis
creaturis omnibus, & operatur in eis, & tamen non est in singulis

G

crea-



creaturis, in lapidibus, lignis, piscibus, arenis maris, bufonibus, serpentibus, hominibus impijs, &c. sua Essentiâ veluti inclusus: Hoc enim nusquam dicit verbum Dei. Quòd autem gratiosè & liberè Deus habitat in credentibus, aliâ res est. Quare quòd in Maioris priori membro ponitur tanquam causa, nullius est momenti, imò falsum est, & nulla causa est posterioris membri in Maiore, seu in predicato. Maior itaque est fabulosa atque inanis, hoc est, fallacia est secundum non causam ut causam.

XIII.

Natura, quæ sua substantia non existit in omnibus creaturis, in angelis, in hominibus impijs, in Sole, plantis, herbis, arboribus, & in singulis arenis & piscibus maris (in quibus creaturis Deitas tantum est sua substantia) illa non implet omnia in omnibus sua Essentia.

Sed manifestum est, quòd humana Christi natura, non impleat omnes creaturas suâ Essentiâ.

Ergò impletio, de qua loquitur Paulus, intelligenda est de operatione, efficacia, virtute, dominatu, &c.

Respondetur. Maior falsa est, quia neq; expresso Dei verbo constat, neq; firma consequentia inde potest extrui. Nam prius membrum in Maiori non continet firmam atque immotam causam posterioris membri in ea. Est igitur fallacia secundum non causam ut causam. Et falsum est, quod inseritur: Deitatem tantum sua substantia esse in illis creaturis, scilicet in hominibus impijs, in arboribus, piscibus, arenis maris, item in serpentibus, bufonibus, lupis, ursis, &c. Nam hoc quidem certum est, quòd Deus adsit omnibus creaturis sua præsentia & efficacia, sed quòd sit in omnibus creaturis sua Essentiâ, ut est in sanctis Angelis, & hominibus credentibus, id verò sacre litera non tradunt. Non est Deus Essentiâ sua in Cain fraticida, in Esau persecutore fratris, in Pharaone Aegyptio, in Iuda proditore, & similibus impijs hominibus: Neque est Deus Essentiâ sua in lupis, ursis, bufonibus, erucis, &c. licet omnibus illis creaturis præsto sit, omnes regat, vel ex gratia, vel ex ira. Sic

Quomodo
Deus sit, vel
non sit in
brutis & in
alijs crea-
turis.

Personæ Christi.

51

Sic Deus ipse omnia in omnibus implet sua presentia & efficacia, non tamen habitat sua Essentiâ gratiosè in omnibus creaturis, sed duntaxat in angelis bonis, & in credentibus, ut dictum est.

Maiore itaque, tanquam *ovè* *xp* argumenti, non stante, corrui tota consignatio.

Minor praterca audacter in faciem cædit S. Paulū, qui asseuerat Christum, qui est Deus & homo, ascendisse, ut impleret omnia, Ephes. 4. Nec hîc distinguuntur à Paulo natura in Christo, quasi Deitate sua impleret omnia, & non quoque sua humanitate, in hac unione persona. Imò Paulus in primis eò intendit, quòd natura humana quoque in Christo euecta sit super omnes cælos, ut in hac persona simul impleret omnia.

Deinde verò verba Pauli non sunt peruertenda, ac si dixisset: *Non Physice.* Christum implere sua persona, seu utrisque naturis omnia, seu omnes creaturas, sicut cereuisia implet cantharum, aqua lagenam, remedium pixidem. Item, ac si dixisset: quòd persona Christi iuxta utranque naturam sit inclusa impijs hominibus, lignis, saxis, folijs arborum, arenis maris, &c. Non sic loquitur vsquam sacra Scriptura: Sed quòd impleat omnia, seu omnes creaturas presentia sua & efficacia, pro suo placito.

Conclusio quoque non conuenit argumentationi, quia in præmissis ea, quæ habet, non exprimuntur. Non igitur probatum est: Christum SOLA operatione, efficacia, virtute, dominatu, implere omnia, & non quoque sua presentia. Vtraque enim dictum illud Pauli complectitur, nempe: Christus iuxta utramque suam naturam, & presentia & efficacia implet omnia.

XIIII.

Pauli verba, ut omnia adimpleret, aut de substantia carnis, aut de dominatione sunt intelligenda.

Sed non de substantia carnis.

Ergò de dominatione.

G 2

Respon-

De Omnipræsentiâ

Respondetur. Fallacia est ex insufficienti distinctione, aut enumeratione. Maior non est integra, quia omittitur tertium membrum. Scilicet, aut de utraque sunt intelligenda, nempe de præsentiâ & efficacia utriusque naturæ Christi in persona.

Minor quoque non est vera, quod dictum Pauli non loquatur de utrisque naturis in persona Christi: Est quæ diuulsio ista, & procul disiunctio naturarum in persona Christi non contemnenda, aut exiguum facinus. Summa, ille spiritus re ipsa hic dirumpit naturas in Christo, & tamen non vult videri hoc facere. *Er will es niche wort haben!* siue autem isti pugnatōres quoque hoc intelligant, sine non, perinde est. Re enim ipsa huc tenditur. Nestorianus spiritus huc excurrit.

Falsa itaque est conclusio: **TANTVM** (quæ quidem vox hic in verbis precedentibus exprimitur) tantum, inquam, hoc dictum de dominatione intelligi, sed non de Omnipræsentiâ, quod Christus iuxta utranque naturam in persona sit præsens creaturis, & omnes regat pro placito.

XV.

In abusu
Cœnæ non
est, ergò
nullibi.

Vsitata doctrina est: Christi corpus non esse extra panem, seu extra usum institutum in Cœna.

Ergò natura Christi humana non est ubiq; in hoc mundo, seu Omnipræsens creaturis omnibus.

Respondetur. Mirum Sophisma, nimirum à locutione in doctrina de Cœna Domini, panem spectante, ad doctrinam de præsentiâ personæ Christi, iuxta utranque naturam. Et quid magis fanaticè dici potest: quàm in pane non est Christi natura humana extra usum: Ergò etiam aliàs non est Omnipræsens suis creaturis Christus iuxta utranque naturam, videlicet diuinam & humanam? Annón, inquam, est egregium phantasma: Corpus Christi non est extra usum in pane: Ergò corpus Christi nusquam alibi est in hoc mundo præsens?

Sed

Sed tu dicis, qui non videri vis Sacramentarius. In cœna usu, est tibi corpus Christi, & rectè prædicatur, iuxta ipsius Christi verba: Hic panis est corpus meum. Cur igitur tu negas, naturam Christi humanam in persona sua diuina, in quam assumpta est unione indissolubili, ubique esse apud creaturas sibi subiectas? Quia, inquis, verba Christi in Testamento hoc asseuerant. Vicissim igitur tibi obijcimus, Et ista sunt Spiritus Dei verba: Ascendit super omnes cœlos, ut impleret omnia. Quod si constanter obseruas d' gn' p' in verbis cœnæ, & nos vicissim decet pia constantia retinere in hoc quoque dicto d' gn' p' verborum Christi. Sic & de alijs iudicamus, quæ supra in questione an sit, adsignauimus.

XVI.

*Patres non habent istam doctrinam, quòd Christus sit
Omnipræsens suis creaturis iuxta vtramque natu-
ram.*

*Autoritate
Patrum ni-
tetur.*

Respondetur. Ecce, Patres debent nobis articulos fidei condere? Cur autem non primo loco auditur, atque admittitur verbum Dei? Sed clara atque immota testimonia eius doctrinæ præmissimus in questione, an sit, quæ non sunt atramento sutorio obducenda: Et hisce testimonijs diuinis mens pia tuto atque firmiter potest inniti.

Deinde Patres sæpè extra semitam cucurrissent, & quedam parùm sacris literis consentanea scripsissent, quia homines fuerunt, extra controuersiam est. Necessè est igitur, te priùs testimonia adferre euidentia atque irrefragabilia, quòd iste vel ille pater sit talis, tantusq;, ut ei propter autoritatem paternam, in rebus fidei, citra exceptionem omnem sit credendum.

Tertiò, quæ Patres de naturis per se distinctè consideratis dixerunt, id Sacramentarij ad totam ipsius personam præposterè detorquent.

*Quartò, Patres nusquam in suis scriptis naturas in Christo personaliter unitas distrabunt, sed constanter docent, humanam naturam hypostatice unitam filio Dei, idq; absque confusione natu-
rarum,*

varum, & inseparabiliter. Totis itaque viribus tuentur duarum naturarum, nempe diuinæ & humanæ, indissolubilem in personæ Christi unionem. Longum autem esset illa testimonia adscribere, neque id est necesse.

Lutherus
docuit ubi-
quitatem.

Quintò, Patrem Lutherum, quem Deus hoc nouissimo mundi seculo ex immensa misericordia excitauit, ac insignibus donis scientiæ, fidei, confessionis, discretionis spirituum, exornauit, suo loco allegamus, & magnificimus, quia analogæ fidei, & consentaneæ verbo Dei protulit.

Communem quoque confessionem de hac parte ceteri insignes Ecclesiæ Christi sinceræ Doctores in publicis scriptis professi sunt. Ex veteribus Athanasius oratione secunda & quarta contra Arianos: Cyrillus libro posteriore ad Reginas, profitentur quòd λόγος non sit extra carnem. Damascenus lib. 3. cap. 3. scribit: Naturas in Christo indistanter unitas esse. Ambrosius in 10. cap. ad Hebr. Num quia in multis locis offertur hoc sacrificium (corpus sc. Christi) multi Christi sunt? Nequaquam: sed unus ubique est Christus, & hic plenus, & illic plenus. Et alibi: Licet ubique sis, & stans in medio nostrum non cernaris à nobis: erit tamen tempus, quando uniuersa caro te aspiciet reuertentem. Cyrillus lib. 12. in Ioan. cap. 32. Integer in omnibus est existens ubique. Oecumenius super verba Ephes. 4. Ascendit supra omnes cælos, ut impleret omnia. Et quidem nuda diuinitate olim omnia implebat. Incarnatus autem descendit & ascendit, ut unâ cum carne impleret omnia. Similia testimonia Paschasius, Hugo Cardinalis & Bernhardus habent. Ex nostri seculi Doctores, Brentius, Spangenbergius, Aepinus, Menius, & alij: id quod omnibus notum est.

XVII.

Lutherus dissuasit, ne de ubiuitate Christi disputaretur.

Ergò licitum est Sacramentarijs, & Semisacramentarijs liberrimè docere in Scholis, pro concione, libris impres-

impresis: quòd non sit necesse, naturam Christi humanam in persona filij Dei, vbique creaturis omnibus esse præsentem, & quòd omnes debeant os & calamum continere, ne vel verbulo vno eos, noui istius dogmatis assertores & propagatores, turbent aut offendant.

Respondetur. Sic scilicet Sacramentarij in illa sua infami exegesi idem postulabant, vt nimirum nos prorsus taceremus in Ecclesia Dei sincera, ac sineremus ipsos liberrimè, atque innumeris libris, sua dogmata Sacramentaria spargere per totum mundum. An verò non videtur tibi isthac aqua ratio? Diabolus scilicet ille ater Zuuinglij debet garrire, clamare, scribere, ac totum mundum suis erroribus replere: Christus autem ille miser socius, debet os suum tenere, ac de verbis Testamenti sui non mutire quicquam, ac multò minùs Diabolum refutare. Memini & Choragum renouati Manichæismi idem à nobis efflagitare, vt videlicet nos quiesceremus, nihilq; ipsi obstreperemus vllis scriptis, interim verò ipsi relinqueremus potestatem, liberrimè excudendi & spargendi sua scripta de turpi paradoxo, imò errore: Peccatum originis est substantia.

Turbantes
Ecclesiam
postulant à
nobis silen-
tium.

Eadem insolentia nunc nouitatis isti doctores procedunt. Omnibus enim viribus hoc agunt, vt nemo eis obstrepat, aut contradicat, vt ipsi interim plenis velis possint nauigare, atque suas putridas merces, hac quidem in parte in Ecclesiam Christi, nemine impediente importare. Hoc autem vt paulò speciosius videantur agere, prætendunt nobis autoritatem B. Lutheri, quam sciunt apud nos venerandam esse.

Atqui vos boni viri, monstrate nobis locum in libris Lutheri, vbi vobis fecerit potestatem, nouum & falsum dogma importandi in Ecclesiam Dei, hoc scilicet: Diuinam duntaxat naturam filij Dei, vbique creaturis huius mundi præsentem esse, & nequaquam simul naturam humanam Christi, assumptam in persona sua diuina indissolubilem vniorem?

Deinde

An & cum
Lutherus
dissuasit.

Deinde verò dissuadet sanè Lutherus, ne nos moueamus illam
disputationem, de generali ubiuitate naturæ humana in Christo
in controuersia de cœna Domini, eò quòd multa contineret arcana,
& ne daremus Sacramentarijs occasionem deserendi principalem
de cœna Domini controuersiam, & euagandi in alias materias.
Non itaque simpliciter dissuasit, sed secundum quid. Verba Lutheri
ibi sunt clara: *In diser sachen.* Item, hier: (in hac causa, item hic)
loquitur autem de cœna sacra. Extat autem isthac monitio Luthe-
ri in collectaneis dictorum, quæ scripsisse dicitur in quorundam
Biblia Chirographum ipsius postulantium Tomo octauo. Cum ta-
men Theologi quidam certò demonstrarint, illa non à Luthero, sed
à Philippo scripta, & proinde supposititia esse. Ideo nec in libris ab
ipso Luthero editis, ac præsertim in Polemicis de S. cœna: nec in ipsis
iam dictis collectaneis, quæ in peculiari libello in octauo impresso
ante Tomorum editionem, statim post Lutheri mortem in publi-
cum emissa sunt, hoc extat.

Tertiò nusquam Lutherus prohibuit si quando Sacramentarij,
aut alij quicumque, ut sunt irrequieti Spiritus, in eam materiam
excurrerent, falsaq; dogmata sererent, ne illos ex verbo Dei solido
refutaremus. Nequaquam enim electum illud Dei organum tam
fuit ignauum, aut negligens sui officij, ut vnquam iusserit aut sua-
scrit tacere, falsis doctrinis publicè sparsis. Constat autem Sacra-
mentarios hanc disputationem mouisse, & falsa dogmata in Ec-
clesiam Christi disseminasse, & adhuc effractis omnibus omnis mo-
destiæ repagulis, furiosè pergere. Imò hoc ipsum sui deliramenti: de
absentia longinqua, & conclusione corporis Christi supra extremum
cælum: præcipuum habent fundamentum, quod subinde recantant:
Corpus Christi scilicet finitum non esse, nec esse posse simul ac semel
in diuersis locis huius mundi, ac verba Testamenti aliter esse inter-
pretanda, quàm ibi iaceant ac sonent.

Quartò, Lutherus ipse in libris de cœna multoties iterat hanc
ipsam propositionem: Christum esse ubique. Ac diligenter vrsit at-
que tradidit hanc doctrinam: Christum totum, Deum & hominem,
esse

esse apud suas creaturas omnes presentem, atque in eis operari. Est itaque manifestissimum mendacium: Lutherum hanc doctrinam retractasse: ubi natura diuina Christi est in hoc mundo, ibi oportere & naturam Christi humanam esse: Naturas semel unitas in persona Christi non esse diuellendas in æternum: Christum quoque iuxta naturam humanam, unitam personæ filij Dei esse Omnipresentem omnibus creaturis. Ista ne per somnium quidem retractauit unquam Lutherus. Imò paulò ante obitum palàm & publicè testatus est, sese in omnibus, quæ contra Sacramentarios scripsisset, immobiliter persistere, nec debere post mortem aliter de se à quocquam dici. Simile itaque est hoc mendacium de retractatione Lutheri in hac doctrina illi splendido mendacio Sacramentariorum, quod D. Ioachimus Morlinus publicè appellabat, **Landlugen**: Lutherum scilicet sententiam suam de cæna, & scripta aduersus Sacramentarios retractasse. Quonam autem ista tendunt? huc nimirum: ut non exigua pars optimorum scriptorum Lutheri aduersus Sacramentiperdas, euellatur, destruatur, deleatur. Hocine autem facinus approbandum est? O vigilate, attendite vos ouicula Christi: Res agitur magna, sed iam quædam Lutheri testimonia proferamus.

Auß dem Buch vom himlischen Propheten.

DE R tolle Geist gehet mit den Kindergedanken vmb / als fahre Christus auff vnd nider / verstehet auch nicht Christus Reich / wie er ist an allen orten / vnd wie Paulus spricht / Erfüllet alles / Ephes. 1.

Man würdt nicht sagen: Sihe hie / sihe da ist's / welches die andern Euangelisten also aufreden / hie oder da ist Christus / das ist alles sonil gesagt: Christus Reich stehet nicht in eusserlichen dingen / Stätten / zeitten / Personen / wercken / Sondern wie er daselbst sagt: Das Reich Gottes ist inwendig in euch. Darauß folgt nu mehr: daß Christus nirgend sey / sondern daß er allenthalben sey / vnd alles erfülle / Ephes. 1. Er ist aber an keinem ort gebunden sonderlich / daß er da müste sein / vnd sonst nirgend.

D

Wir

Wir sagen nicht / daß er müsse vnd solte an sonderlichen orten / vnd nicht an allen frey sein.

Auß dem Buch/ daß die wort fest stehen.

Der Artikel saget / daß Christus nicht an einem theil / als am kleinen Finger oder Nagel der Rechten Gottes sey / Sondern schlechts zur Rechten Gottes sey / daß / wo vnd was Gottes Rechte ist vnd heist / da ist Christus des Menschen Sohn. Das will auch Christus / so oft er im Euangelio bekennet / daß ihm alles sey vbergeben vom Vatter / vnd alles vnder seine Füße gethon / Psalm. 8. das ist / er ist zur Rechten Gottes / welches ist nichts anders / denn daß er auch als ein Mensch / vber alle dinge ist / alle ding vnter sich hat / vnd drüber regieret. Darumb muß er auch nahe dabey / drinnen / vnd drum sein / alles in Händen haben / &c. Denn nach der Gottheit ist ihm nichts vbergeben / noch vnter die Füße gethon / so ers zuvor alles gemacht vnd erhelt. Sizen aber zur Rechten / ist souil als regieren / vnd Macht haben vber alles : Soll er Macht haben vnd regieren / muß er freilich auch da sein gegenwertig vnd wesentlich / durch die Rechte Hand Gottes / die allenthalben ist.

So spricht Christus auch / Johan. 3. Niemand fehret gen Himmel / denn der herab gefahren ist / nämlich des Menschen Sohn / der im Himmel ist / Damit er ja zeigt / daß sein Leib zugleich im Himmel vnd auff Erden / ja schon bereit an allen enden ist. Denn er ist durch seine verklärung nicht ein andere Person worden / sondern wie vorhin / so auch hernach allenthalben gegenwertig.

Christus Leib ist an allen enden. Item : Er ist frey vnd vngelunden allenthalben / wo er ist / vnd muß nicht da stehn als ein Bube / an Pranger oder Halseisen geschmiedet.

Item: Weil Christus Menschheit zur Rechten Gottes ist / vnd nu auch in allen / vnd vber allen dingen ist / nach art Göttlicher Rechter Hand / &c.

Auß dem grossen Bekenntnis.

Daß ich beweisete / wie Christus Leib allenthalben sey / weil Gottes Rechte Hand allenthalben ist.

Weil sie nicht beweisen / daß Gottes Rechte Hand ein sonderlicher ort sey im Himmel / so bleibet meine angezeigte weise auch noch fest : Daß Christus Leib allenthalben sey / weil er ist zur Rechten Gottes / die allenthalben ist / wiewol wir nicht wissen / wie das zugehet.

Weil

Weil vnser Glaube helt / daß Christus Gott vnd Mensch ist / vnd die
zwo Naturen eine Person ist / also daß dieselbige Person nicht mag zutren-
net werden: So kan er freilich nach der leiblichen / begreifflichen weise sich er-
zeigen / an welchem ort er will / wie er nach der Auferstehung thut / vnd am
jüngsten Tage thun wirdt. Aber vber dise weise / kan er auch die andern vn-
begreifflichen weise brauchen / wie wir auß dem Euangelio bewisen haben
im Grabe / vnd verschlossener Thür.

Du er aber ein solcher Mensch ist / der vbernaturlich mit Gott eine Per-
son ist / vnd auß diesem Menschen kein Gott ist: So muß folgen / daß er
auch nach der dritten vbernaturlichen weise sey / vñ sein möge **A E E N E**
H A E B E N / wo Gott ist / vnd alles durch vnd durch vol Christus sey /
auch nach der **M E N S C H E I T** / nicht nach der ersten leiblichen
begreifflichen weise / sondern nach der vbernaturlichen Göttlichen weise.
Denn hie mustu stehen / vnd sagen: Christus nach der Gottheit / wo er ist /
da ist er eine natürliche Göttliche Person / vnd ist auch natürlich vnd persön-
lich in Mutter Leibe. Denn solt er Gottes Sohn sein / so muß er natürlich
vnd persönlich in Mutter Leibe sein / vnd Mensch werden. Ist er nu natür-
lich vnd persönlich / wo er ist / so muß er daselbst auch Mensch sein. Denn es
sind nicht zwo zutrente Personen / Sondern ein einzige Person / wo sie ist /
da ist sie die einzige unzertrente Person / vnd wa du kanst sagen / hie ist Gott /
da mustu auch sagen / so ist Christus der Mensch auch da.

Vnd wo du einen ort zeigen würdest / da Gott were / vnd nicht der
Mensch / so were die Person schon zertrennet / weil ich als denn mit der war-
heit kundt sagen / hie ist Gott / der nicht Mensch ist / vnd noch nie Mensch
ward. Mir aber des Gottes nicht / denn hieraus wolt folgen / daß raum vnd
stette die zwo Naturen von einander sünderten / vnd die Person zutrenneten /
So doch der Todt / vnd alle Teuffel / sie nicht kondten trennen / noch von ein-
ander reißen / vnd es solt nur ein schlechter Christus bleiben / der nicht mehr /
denn an einem einzelnen ort / zugleich eine Göttliche vnd menschliche Person
were / vnd an allen andern orten / müste er allein ein blosser abgesonderter
Gott vnd Göttliche Person sein / ohne Menschheit. Mein gefelle / Wo du
mir Gott hinsesest / da mustu mir die Menschheit mit hinsesen. Sie lassen
sich nicht sündern / vnd von einander trennen / Es ist eine Person worden /
vnd scheidet die Menschheit nicht so von sich / wie Meister Hans seinen Rock
aufzeucht / vnd von sich legt / wenn er schlaffen gehet.

Denn daß ich den einfältigen ein grob gleichnus gebe. Die Menschheit
ist näher vereiniget mit Gott / denn vnser Haut mit vnserm fleische / ja nä-
her denn Leib vnd Seele. Du so lang der Mensch lebet vnd gesund ist / ist

Haut vnd Fleisch/Leib vnd Seele also gar ein ding vnd Person/ daß sie nicht mügen getrennet werden / Sondern wo die Seele ist / da muß der Leib auch sein. Wo das Fleisch ist / da muß die Haut auch sein / vnd kanst nicht sonderliche stette oder raum geben / da allein die Seele ohne Leib / als ein Kern ohne die Schale / oder da das Fleisch ohn Haut / als ein Erbis ohn Hülsen sey / sondern wo eines ist / da muß das ander mit sein.

Also kanstu auch nicht die Gottheit von der Menschheit absteilen / vnd sie etwahin setzen / da die Menschheit nicht mit sey / denn damit würdestu die Person zutrennen / vnd die Menschheit zur Hülsen machen / ja zum Rock / den die Gottheit auß vnd anzöge / darnach die stette oder raum were. Vnd solt also der leibliche raum hie souil vermögen / daß er die Göttliche Person zutrennet / welche doch weder Engel noch alle Creatur mögen zutrennen.

Sie (die Menschheit Christi) ist mit Gott eine Person / daß / wo Gott ist / da ist auch der Mensch.

Du mußt diß wesen Christi / so er mit Gott eine Person ist / gar weit / weit außser der Creaturen setzen / so weit als Gott draussen ist / widerumb so tieff vnd nahe in alle Creatur setzen / als Gott drinnen ist. Denn er ist ein vnzerrente Person mit Gott. Wo Gott ist / da muß er auch sein / oder vnser Glaub ist falsch.

Ist Gott vnd Mensch eine Person / vnd die zwo Naturen mit einander also vereinigt / daß sie näher zusamen gehören denn Leib vnd Seel / so muß Christus auch da Mensch sein / wo Gott ist. Ist er an einem ort Gott vnd Mensch / warumb soll er denn nicht an einem andern ort auch Mensch vnd Gott sein?

Auß der Sermon vom Sacrament wider die Schwarmgeister / Anno 1526.

Wir glauben / daß Ihesus Christus nach der Menschheit / sey gesetzt vber alle Creaturen / vnd alles erfülle / wie Paulus zum Ephesern am 4. sagt / ist also nicht allein nach der Gottheit / sondern auch nach der Menschheit / ein **HE** aller ding / hat alles in der Hand / vnd ist vberal gegenwertig.

In

In Ecclesiasten Anno, 1532.

Si Christus quoque extra locum est contra illos, qui captiuant Christum loco, CVM TAMEN VBI QVE sit, neque enim verbum Dei segregatur à carne, ubi Deus est, IBI ET CARO CHRISTI EST.

In Tischreden fol. 76.

Christus spricht Matth. 18. Wo zwen oder drey versamlet sind in meinem Namen / da bin ich mitten vnder ihnen.

In diesem Spruch redet er gewiß von seiner persönlichen Gegenwertigkeit / daß in dieser Person / die Christus ist vnd heist / an allen enden vnd orten auch sein muß zugleich Mensch vnd Gott / oder beide Naturen zusammen / vnzertrennet / allenthalben / vnd in der Wahrheit gegenwertig erhöhe / schaffe vnd wircke alles in allem / wie der 8. Psalm sagt: Du hast ihm alles vnder seine Füße gethon: Also wo ein Natur ist / da muß auch die ander sein / vnd kan keine von der andern in Ewigkeit nimmermehr abgesondert / noch gescheiden werden.

Item fol. 167.

Warumb disputieren sie dawider vnd sagen / daß Christus nur nach der Gottheit sey allenthalben / also hat hiernon der Zwingel geschriben: Wan ich von Gott dencke / so dencke ich also / als sey Gottheit vnd Menschheit allenthalben gegenwertig. Ursach: Christus Gott vnd Mensch ist ein Person. Wo ich nu Gott will finden / so such ich ihn in der Menschheit Christi.

Visum præterea est huc apponere insigne testimonium Ioannis Aepini Superintendentis Hamburgensis, ex libello ipsius contra Sacramentarios Frisones, (quamuis plurimum præstantium Doctorum in Ecclesia Dei hoc nostro tempore consentientia testimonia adferre possem, nisi breuitati in præsentia studendum esset) is igitur sic inquit.

Aepini testimonium.

Christum VBI QVE, non solum virtute sua, sed ESSENTIA etiam præsentem esse, sacris Scripturis confutare non possunt Sacramentarij. Filius Dei seu λόγος factus caro, NVN QVAM & NVS QVAM est sine carne, VBI QVE est verus & naturalis
 H 3 homo,

homo, & NVS QVAM DIMIDIATVS, sed VBI QVE totus. Filius Dei & filius hominis vnus est Christus, vnagüe persona. Vbi filius Dei est, ibidem & Maria filius est, Iesus Christus, Deus & homo, eodem temporis momento Romæ, Hierosolymis, & in Frisia totus est, non solum potentia, sed Deus & homo vnus Christus. Qui personam Christi ab aliorum hominum personis æstimant, & includunt eum suis angustijs, non norunt Christum rectè, nec de diuinæ & humanæ eius naturæ vnione, in eadem persona, iuxta analogiam fidei sentiunt. Hæc ille.

Elusiones
refutat.

Iam autem subiiciemus elusiones dictorum Scriptura, quibus Ecclesia Christi sincera fundat doctrinam de Omnipræsentia carnis Christi in omnibus creaturis. Viderunt enim aduersarij, his dictis glossatis aut coangustatis, secundū suas opiniones, se aliquem suorum errorum pretextum habere posse. Necessè itaque est, Ecclesiam Christi hîc accuratè attendere, ne patiatur sibi excludi, quod inclusum est, aut peregrinam sententiam affingi. Quia autem multa in illis elusionibus coaceruantur, ideò necesse est ad singula respondere, & non pauca repetere, quæ etiam suprâ sunt exposita, idquæ veritatis asserendæ gratiâ, ad simpliciores monendos, ne patiantur sibi palàm imponi.

Pag. 22.

ELVSIO ARGVMENTI, DE VNIO- ne personali sumptum.

NEgant illi, ex vnione personali posse statui Omnipræsentiam personæ Christi, iuxta vtramque naturam, hisce rationibus.

1. In tantis causis, supra rationem humanam positis, verboquæ Dei non expressis, vt in Mystero Trinitatis: non est consequentijs agendum.
2. Infiniti ad finitum nulla est proportio. Ergò non potest concludi: Vbi vna natura est, ibi oportere & alteram esse.
3. Ioan. 11, dicitur, Gaudeo, quoniam non eram ibi, Ergò Christus,

sius,

rus, defuncto Lazaro in Bethania, non fuit ibi iuxta humanitatem, sed in itinere.

4. Christo suspenso ex cruce, & sanguinem fundente, suo corpore non fuit Romæ, aut Athenis.

5. Iam, quia unio personalis non soluitur, licet tum diuinitas Christi fuit ubique: Corpus autem Christi non fuit ubique, sed tantum uno in loco: Ergo personalis unio, Ubiquitatem statuere non potest, quia semper oporteret corpus Christi existere, ubi diuinitas est, neque exceptio ulla locum haberet.

6. Exceptio de tempore exinanitionis nihil facit ad rem, quia unio personalis tam fuit fortis in exinanitione, quam in glorificatione, & exaltatione. Exinanitio quidem indicat passionem, verum non labefactat unionem.

7. Argumentum ponitur.

Quæ stante unione hypostatica, asseruntur à Spiritu sancto, hæc non soluunt unionem hypostaticam.

Sed Spiritus sanctus affirmat, corpus Christi fuisse in uno loco: cum tamen diuinitas impleuerit omnia, & Spiritus sanctus non soluit unionem.

Ergo ex unione personali non potest extrui Ubiquitas. Hæc illi.

NUNC RESPONSIONES AUDIAMUS.

AD primam respondetur. Atqui in hac causa, Ecclesia qui- I. Elusio.
dem Dei rectè sentienti, non desunt luculenta testimonia. Proinde ex perspicuo (licet alij non velint hanc lucem cernere) Dei verbo, & ex bonis ac firmis consequentijs hoc dogma extruitur: Christum in persona iuxta utranque naturam esse Omnipresentem.

Deinde falsum est, quod adijcitur: Et non consequentijs agendum. Verum quidem est, in Mystério diuinitatis manifesta dicta Scripturæ sacræ exosculanda, & amplectenda esse, Sed hoc falsum est, quòd

quod non ex firmis ac certis consequentijs etiam vera doctrina de Deo sit asserenda. Nam Prophetia, id est, omnis doctrina in Ecclesia Dei debet esse analogica fidei, id est, consentanea verbo Dei, non ei contraria. Sic Ecclesia docet & credit, tres esse personas diuinitatis, non quia Scriptura sic dicit, sed quia Scriptura non contradicit. Nam illæ syllabæ non sic extant in sacris literis. Sic, Omnes tres personas diuinitatis esse ὁμοούσιος; non extat hisce syllabis in sacra Scriptura: sed tamen firmissimis consequentijs inde extruitur. Sic de alijs, ut suo loco annotatum est. Falsæ quidem consequentiæ, contrarie textui diuino, non debent texti, sed veræ non sunt prohibitæ. Imò Christus ipse consequentias textit. Ut, Deus est Deus Abraham, Isaac & Iacob.

Sed Deus non est Deus mortuorum, verum viuorum. Ergo Abraham, &c. viuit.

Item: Si David vocat eum Dominum, quomodo filius eius est? Matth. 22.

Præterea & hoc isto loco obserua: Isti homines fastuosè repudiant atque exsibilant omnes consequentias sine discrimine, & tamen hic etiam meras, ut ipsemet cernis, consequentias crepant. Sic scilicet ista flatuositas semetipsam confundit.

SECUNDA RATIO continet scopas dissolutas. Nec satis est ista ebuccinare: oportet enim firmam argumentationem suppeditare. Videamus autem paulisper, qualis compositio, si rectè contextatur, gignatur.

Infiniti ad finitum nulla est proportio. Deitas Christi est infinita, humanitas finita. Ergò Deitas Christi nullam ad humanitatem suam habet proportionem.

Proportio. Primum autem ad Maiorem respondendum, & elucidanda hæc regula est, ne quodlibet inde extruatur. Equidem proportio, Geometricum vel Arithmeticum est vocabulum, ubi duæ vel plures res aut partes inter se comparantur, certa quadam ratione. Iam vero quo-

rō quomodo infinitum cum finito comparetur, edifferendum esse. Equidem finitum non potest fieri infinitum Essentiā. Deinde & proprietates essentielles infiniti, non possunt fieri proprietates finiti essentielles. Hæc extra controuersiam posita sunt.

In quibus finiti ad infinitū nulla sit proportio.

Sed hīc Deus omnipotens mirandum quippiam fecit, nempe quod Deus homo factus est, hoc est, quod infinita persona filij Dei, in totalis suae personae unionem suscepit naturam humanam, cum corpore & anima, ex Maria virgine, ita ut infinitum & finitum sint una persona, unus Christus, unus Redemptor. In hoc itaque casu regula illa non nihil quiescit: Infiniti ad infinitum nulla est proportio, quia hic homo est Deus, & hæc natura humana Christi est una persona cum hac diuina & infinita persona filij Dei. Quid? annon hoc est admiranda proportio finiti & infiniti? Item licet non fiat humana natura in Christo, seu in persona filij Dei, in cuius unionem assumpta est, infinita unquam, nec transformetur in diuinitatem unquam: tamen tota plenitudo diuinitatis in ea habitat, & sedet caro Christi ad dexteram Maiestatis, & caro Christi est viuifica, & iudicabit viuos & mortuos, quæ quidem aliās, & per se, soli infinito competunt. Sed non habet ea, ut essentialem suae humanae naturae proprietatem, sed ex communicatione Maiestatis diuinae.

In quibus regula quiescat.

Verum quidem est respectu ceterarum creaturarum omnium, ista regula simpliciter valet, sed in exemplo Christi, ubi finitum iunctum est unione personali infinito, alia res est. Quia Domino Deo, cui omnia possibilia sunt, quaecunque vult, supra & contra captum rationis humanae, sic visum fuit. Noli igitur tu hoc opus Dei admirandum & salutare generi humano carpere.

Conclusio itaque, nempe: Ergo Deitas Christi nullam ad humanitatem suam habet proportionem, omninò variam habet speciem. Annon enim filius Dei in suam diuinam atque infinitam personam assumpsit naturam humanam, ita ut Deus & homo sint unum? An hæc prorsus nulla est Deitatis in Christo ad humanitatem suam proportio? An, quia caro Christi est viuifica, Deitas Christi ad suam humanitatem nullam habet proportionem?

I

Sic

Sic & de alijs. Quoniam igitur ista velint excurrere, sanè ouicula Christi attenta aure, & corde acri perpendant. Non enim sunt res parua.

Nota sequentia.

Iam verò si ad alterum dogma, seu alteram hinc positam illationem accommodari debet hoc principium, argumentatio talis surget.

Vbicunque infinitum est, ibi non oportet (seu non necesse est) finitum esse. Quia infiniti ad finitum nulla est proportio.

Sed natura diuina Christi est infinita, humana Christi natura est finita.

Ergò, Vbi natura diuina Christi est, ibi non oportet & naturam Christi humanam esse. Dicitur autem hinc de Omnipræsentia in mundo.

Nestoriani-
sinus Semi-
sacramen-
tatorum.

Respondetur: Attende o ouicula Christi ad Maiorem, qua naturam Christi humanam, qua finita est, ait non oportere esse in persona Christi, qua infinita est. Ecquid verò hoc noui monstri est? An non Ecclesia Christi credit ac docet: vnione personali ac indissolubili coniunctam esse diuinam atque humanam in Christo naturam? Iam si ibi non oportet finitum (hoc est humanam Christi naturam) esse, ubi infinitum (hoc est, diuina Christi persona) est, quid est decretum Dei, quid est factum Dei, de quo Ioannes dicit: Verbum caro factum est? quid est nostra fides de Christo semper & inseparabiliter θεὸν ὁμοῦ καὶ ὁμοῦσιον?

Qui personam diuinitatis diuellit.

Habes itaq; hinc nouum dogma disertè positum: Vbi vna Christi natura est, ibi non necesse est alteram quoque esse. Ista verba accuratè notentur, quia eiusmodi noui dogmatista sunt valdè callidi & lubrici. Audis igitur manifestam, tetram atq; indignam lacerationem, diuulsionem, distractionem duarum naturarum in persona Christi unitarum. Vanissima itaque sunt verba, nihilominus vociferari: Vnionem naturarum in persona Christi manere, & indissolubilem esse. Quomodo enim manet vnio naturarum in persona Christi? quomodo hæc vnio est indissolubilis? cum palam hinc affirmes, atque pronuncies: Vbi vna Christi natura est, ibi non necesse est

alte

Alteram quoque esse. Nota, observa, attende, ibi inquit: NON necesse est alteram quoque esse. Ergo una Christi natura est, ubi altera non est. Non manet itaque unio duarum naturarum in Christo indissolubilis, quantumuis in gyrum verborum sonoris circumducere coneris simpliciores. *Es ist heraus/und bleibe heraus. Vbi una Christi natura est, ibi non necesse est alteram quoque esse: Ista verba hîc posita sunt, & repetuntur in alio scripto.*

Maiore autem subruta, cadit quoque ista conclusio. Ista hoc loco non nihil euoluenda fuerunt, ne solis talium hominum ebuccinationibus mox fascinentur & occupentur simpliciores.

Omnia autem ad vellicandum & sternendum Lutherum ab hoc spiritu tectè sunt directa. Nam is iuxta verbum Dei aduersus Sacramentarios hoc dogma professus est: Unionem naturarum in persona Christi esse indissolubilem, & ubi una Christi natura est, ibi & alteram eius naturam esse oportere, alioquin non esse, aut manere Christum integrum.

IN TERTIA RATIONE, ut aliàs semper in hoc nouo dogmate, oberratur in chorda Sacramentariorum. Sed inspiciendus textus est, ubi non solum dicitur: Ibi non erã: sed etiam quod Christus iuxta utramque naturam nouit ac prædicit, Lazarum dormire, esse mortuum. Hic itaq; nequaquam excludenda est humana natura in persona Christi. Quod verò Christus inquit: Non eram ibi: nequaquam naturas in persona Christi disrumpit, atque seiungit, scilicet iuxta naturam diuinam eram ibi. Sic enim non loquitur Christus, nec debet quisquam hominum istud os Dei reformare, ac naturas in hac persona indissolubiliter iunctas, procul distrahere, & à se inuicem remouere. Exigunt illi aliàs clarum & manifestum in rebus tantis verbum Dei: cur igitur hîc sua somnia ad diuisionem naturarum Christi in unione hypostatica spectantia proferrunt?

III. Elufio:
Der Schuld
heiß in toten
Hosen.

Quid igitur? Nonne hæc verba Christi sunt vera? Imò veris-



sima sunt. Sed si tu hinc vis remouere à persona Christi humanitatem, iniuriosus es in unionem personalem atque indissolubilem Christi, & quia Christus de se totopronunciat, qui est Deus et homo, eadē opera pronunciare te oportebit, nec diuinitatem Christi ibi fuisse. Nam absque distinctione naturarum hinc inquit: Non eram ibi. Quis verò? Christus Deus & homo. Quomodo autem iuxta utramque naturam nouit, atque eloquitur: Lazarum dormire ac mortuum esse? Quare omninò ista verba secundum statum humiliationis Christi accipienda sunt. Et analogia fidei est hæc sententia: Christum modo Physico & naturali non fuisse ibi. Impia verò prorsus est sententia: Vbi una Christi natura est, ibi non necesse est alteram quoque naturam esse, quia lacerat, diuellit, & procul à se inuicem seiungit naturas ex unione personali Christi. Hoc autem facinus non est leue putandum.

III. Elufio.

IN QVARTA ratione, præcipuum sui noui dogmatis fundamentum collocant isti homines: Sed nos credimus, Christum conceptum esse in utero Mariæ virginis, virtute Altissimi, & non alibi: natum esse in Bethlehem, & non alibi: crucifixum esse ante portam Ierusalem, & non alibi: ascendisse in cælum in oliueto, & non alibi: Et tamen credimus, unionem personalem indissolubilem, indissolubiliter ibi mansisse. Credimus Deum passum esse in cruce iuxta carnem. Credimus Deum fudisse sanguinem ex sua carne. Credimus passum esse Christum, non extra suam personam. Quòd autem ibi diuinitas Christi alicubi fuerit extra suam humanam naturam, vel quòd natura diuina istius personæ alicubi fuerit eo tempore, ubi non fuit natura humana, ei personaliter vnita, & quidem indissolubiliter vnita, & ubi diuina natura non passa est in carne, hoc non legimus, non videmus in sacris literis expressis verbis traditum. Ac libenter fatemur, esse *Mysterium Dei*, quod nemo hominum inuestigare aut explicare potest in hoc mundo. Scimus autem, non decere seruum, ut secreta Domini sui scrutetur, id quod *vetus in Ecclesia Doctor dixit.*

Cyprianus
in Symboli
Apostolici
expositio-
ne.

INOM

Non obscure quidem cernimus principium, ex quo isti scrutatores arcanorum Dei ista proferunt: nimirum Deus semper est ubique. At Christus est Deus. Ergo Christus etiam in passione sua, quæ iuxta carnem facta est, fuit ubique. v. Eluſio

Sed sunt quatuor termini. Maior enim simpliciter de Deo loquitur. Minor verò de Christo, qui est Deus & homo. Non satis itaque predicat Minor de Christo, quòd sit Deus, sed in hac disputatione non est omittendum, quòd Christus sit Deus & homo. Verùm, ut diximus: Secreta Dei in passione non possumus nostris humanis capitibus, quæ extra Dei verbum tenebrosa sunt, peruestigare. Consistimus itaque in terminis prædictis: Verè Deum passum esse carne: non extra personam passum esse. Altiùs non ascendimus, neque profundius nos immergimus.

Nunc quod ad applicationem istam attinet, quæ sic sonat: Tam quia unio personalis non soluitur, licet tum diuinitas Christi fuit ubique: corpus autem Christi non fuit ubique, sed tantum uno in loco: Hæc illi: disertè asseueramus & pronunciamus, extra verbum Dei & sine verbo hoc dici: scilicet, Diuinitatem Christi solam, procul distante corpore seu natura humana, assumpta in indissolubilem unionem hypostaticam, fuisse in passione seiunctam atque remotam, & ut supra suum principium ebuccinarunt: Vbi una Christi natura est, ibi non necesse est alteram quoque esse. Hæc, inquam, in secreta Dei innolant, quæ nemo hominum potest exhaurire. Imò falsissimum est, & irrisio Christi & Ecclesiæ est, quòd isti temerarij scrutatores arcanorum Dei audent tamen contendere, hoc suo dogmate non solui unionem personalem. An verò naturam Christi humanam uno loco affigere, & pronunciare, diuinitatem Christi procul inde semotam atque disiunctam fuisse, non est lacerare, diuellere, disrumpere, seiungere, & inter se remouere naturas in Christo? Equidem unio, & procul, procul, procul seiunctio alterius nature, ita ut non sit, ubi altera est natura, nequaquam sunt idem. Verè itaque ludificantur isti homines Christum & Ecclesiam ipsius, contradictoria absque timore Dei ponentes, & magna violentia disrum-

De Omnipræsentia

disrumpentes, ac procul inter se disiungentes naturas in Christo, ita ut ubi una est natura Christi, ibi non sit necesse alteram quoque esse, ut clarè loquuntur, & tamen vociferantes à se non tolli unionem personalem. Ista profectò non sunt recti Spiritus indicia.

VI. Elufio.
Exceptio de
tempore
exinanitionis.

Quod ad sextum attinet, nos confirmat, nimirum, quòd exinanitio nò tollat unionem personalem naturarum in Christo. Et in hoc ipso fundamento nos immobiliter persistimus, & ex animo eo gaudemus. Arcana autem Dei, excedentia captum humanum, & non reuelata sacris literis, captiuata ratione humana in obsequium fidei, non rimamur curiosè, tenentes hoc principium: Qui scrutatur Maiestatem, opprimitur à gloria.

Vltima
Elufio.

Argumentum porrò vltimum scopas habet dissolutas, quia primùm in conclusione plus est, quàm in præmissis. Deinde verò nusquam Spiritus sanctus affirmat, (nisi isti homines peculiare habeant reuelationes) nusquam, inquam, affirmat: Diuinitatem Christi in passione, procul, procul, procul ab humanitate Christi fuisse seiunctam atque remotam, & fuisse ibi, ubi altera natura, nempe humana, non quoque fuerit nec passa sit. Hoc, hoc, hoc, non ex consequentijs infirmis, vel parum hic appositis, sed ex verbo Dei expresso, erat demonstrandum, prout semper ipsi crepant, in tantis Mysterijs clarum Dei verbum proferendum ac tenendum esse. Sed nunquam hoc facient isti noui dogmatiste. Nunquam, inquam, ostendent, verbum Dei hoc dogma proferre: Diuinitatem Christi in passione procul, procul, procul ab humanitate Christi fuisse seiunctam atque remotam, & fuisse ibi, ubi humana natura non quoque fuerit. Item, ubi Deus non sit passus. Sic scilicet ex istis nouis capitibus habes: Naturam humanam sine diuina Christi natura, & sine diuina persona esse passam: Sic sola humana natura erit redemptrix. Sic peribunt illa præclara dicta: Deus sanguine suo nos redemit: Sanguis Iesu Christi filij Dei emundat nos ab omni peccato, &c.

Aut necesse est te duplicem Christi personam, & duplicem in eo diuinitatem constituere. Vnam scilicet personam Christi, quæ in
cruce

eruce passa est carne: & unam personam Christi, qua alibi (ubique scilicet) fuerit, ubi non sit passa. Sic una erit Christi diuinitas, qua in persona Christi adfuit, ac fudit sanguinem ex carne Christi: & altera diuinitas Christi, qua fuit alibi, nempe ubique, ubi non fudit sanguinem ex carne assumpta in personam suam. Nam hoc principio isti homines fulciuntur: Vbi una Christi natura est, ibi non necesse est alteram quoque esse. Ista omnia spectat ille Spiritus, siue homines illi ista animaduertant, siue non. Dominus Deus conuertat homines conuertendos.

Quid igitur istis cumulatis obiectionibus est obtentum contra veram Ecclesie Dei doctrinam? Nihil. Imò errores sunt magis magisque cumulati & prodiiti.

DE ELUSIONE ARGUMENTI, de Sessione ad dexteram.

Argumentum Lutheri est.

Dextera Dei est ubique.
Corpus Christi sedet ad dexteram Dei.
Ergo corpus Christi est ubique.

Hoc argumentum illi sic eludunt. Sunt quatuor termini. Aliud enim est dextera Dei, qua est ipsa omnipotentia Dei. Et aliud est, sedere ad dexteram Dei, quod significat pari potentia regnare cum Patre & cum Spiritu sancto, & cum tota diuinitate. Ad dexteram sedet, hoc est, pari potentia cum Patre dominatur, imperium habet in OMNES CREATURAS. Item inquirunt: Potest corpore ubique esse, quando vult. Hæc illi.

Respondetur. Et Sacramentarij istam argumentationem vellicant, eo quo hic fit, modo, vt sic Spiritus iste in cornu Sacramentarium per plures spiret. Sed licet forma Argumenti exposita sit criminatiõni, tamen res ipsa, & quò spectet Lutherus, est perpendendum. Nam sessionem Christi ad dexteram Dei, etiam iuxta humanam naturam hic spectat. Maioris itaque sententia hæc est.

Quicq̃

Argumentum Lutheri de dextera Dei vellicant.

Quicquid sedet ad dexteram Dei, id est ubique.
Sed corpus Christi sedet ad dexteram Dei.
Ergo corpus Christi est ubique.

Ratio Maioris est: Quia sedere ad dexteram Dei hic significat, pari (seu eadem) potentia regnare cum Patre & Spiritu sancto, seu cum tota diuinitate. Item, habere imperium in OMNES creaturas. Hec illi ipsi subiiciunt.

Atqui, habere imperium diuinum super OMNES CREATURAS, simul Omnipræsentiam complectitur. Nam ista Maiestas diuina, scilicet, imperium in omnes creaturas, non est sine omnipræsentia Dei. Enter præsenter Deus est, & ubique potenter. Potentia & dominatio in OMNES creaturas, humana in Christo natura data est. Ergo & Omnipræsentia, ut possit adesse omnibus suis creaturis, eas regere pro voluntate, simul ei data est. Et ipse inquit: Ecce ego vobiscum sum. In medio eorum sum. Item, Paulus ait: Ascendit super omnes cælos, ut impleret omnia, scilicet præsentia & efficacia sua.

Sacramentarij crassi pernegant: Christum suo corpore esse ubique, quando velit. At isti Semisacramentarij largiuntur, verum ita, ut postea negent, eum in hoc articulo id quoque velle. Sed verbum Christi, quo suam voluntatem expressit, non patimur nobis eripi, ut illud sæpe iam iterauimus.

Quare nihil opus fuisset ista Elusione Argumenti, & Lutheri, nisi nouum dogma statueretur, & vsitatum Ecclesie dogma conuelleretur.

DE ELVSIONE QVORVNDAM dictorum Scripturæ sacræ.

I.

Ephes. 1. **E**phes. 1. Ipsum dedit caput super omnia ipsi Ecclesie, quæ est corpus ipsius & plenitudo eius, qui OMNIA in OMNIBVS adimplet.

Hoc

Hoc dictum sic eluditur.

Non loquitur hic Christus de omnibus creaturis, sed duntaxat de Ecclesia Dei. Super omnia, hoc est, super omnes credentes. Quia ait: Super omnia ipsi Ecclesiae, quæ est corpus eius. Est spirituale regnum, in quo tantum Christus regit, & plenitudo eius, id est, nihil in eo regno deest, omnia adimplet, scilicet in Ecclesia.

Hic, inquiunt, hæret controuersia: An caro Christi substantia sua impleat omnia, an verò virtute, efficacia, fructu, operatione, donis Spiritus, auxilio, dominatu id præstet. Hoc autem non est à Paulo expressum.

Orthodoxa antiquitas hic nullam ubiuitatem carnis Christi statuit. Hactenus illi.

Respondetur autem. Est manifesta deprauatio textus & sententiæ Paulinæ. Rationes sunt.

Quamuis & hoc Paulus adstruat, Christum omnia posse ac facere in sua Ecclesia, tamen nequaquam hoc dogma hic statuit: **TANTVM** ac solummodo Christum omnia in Ecclesia sua sibi habere subiecta, atque in ea duntaxat omnia in omnibus adimplere, & non etiam in alijs huius mundi creaturis.

Paulus autem docet hic, etiam Angelos Iesu Christo Deo & homini subiectos esse. Nam omnis principatus, item, omne Nomen in hoc & in altero seculo, complectitur non solum status excellentes hominum, sed & Angelorum. Vniuersalis enim non hic debet eludi, præsertim cum referatur ad Maiestatem Dei, quia ad dexteram Dei est constitutus Christus. Et Matth. 24. dicitur, quòd Christus Deus & homo emissurus sit Angelos SVOS, hoc est, sibi subiectos, congregatum omnes homines ad suum tribunal. Sic Christo Deo & homini seruiunt Angeli in deserto, Matth. 4. non quidem ut nobis seruiunt inferioribus angelis, sed ut suo Domino, cui sunt subiecti. Est ergo nouum dogma, quòd **TANTVM** credentes sunt Christo Theanthropo subiecti, & non Angeli.

Hinc etiam nouum dogma exoritur: Diabolos NON esse subiectos Christo Deo & homini, sed **TANTVM** pios, seu credentes

K

homi-

homines, cum tamen Christus dicat, se iudicasse, hoc est, deuicisse Diabolum, & Paulus triumphum Christi singulari congratulatione describens, proclamet: Christum expoliasse Principatus ac Potestates, ac ostentasse eos palam triumphando de illis per se, Coloss. 2.

Sic & nouum dogma hic gignitur, quod Christo NON sint subiecti ceteri homines in mundo, extra suam Ecclesiam, sed **TANTVM MODO** credentes in mundo ei sint subiecti, in quos dominetur, cum tamen pro toto mundo passus sit Christus: Item, Cum iudicaturus sit **OMNES** homines, Matth. 25, Ioan. 5. Quare non sola Ecclesia Dei subiecta est Christo, ut omnia quæ velit, ex gratia in ea operetur, sed etiam ceteri mortales omnes, ut vel conuertat, vel puniat eos, vel faciat in & cum eis, quæcunque velit.

Porro textus Pauli, Maiestatem dexterae Dei, ad quam constitutus est Christus homo, explicans, manifestè respicit ad Psalm. 8. eius verba allegans: **OMNIA** subiecit sub pedes eius. In Psalmo autem etiam alia creatura huius mundi recensentur, id quod manifestum est. Non igitur hic permittendum est, ut uniuersalem, **OMNIA**, restringat tantum ad unicam hominum partem, nempe ad credentes saltem homines. Nam ubi Spiritus sanctus dicit **OMNIA**, & exponit etiam Psalm. 8. ibi non fas est os Dei reformare, & Christo Deo & homini adimere suam super omnes creaturas potestatem. Imò Paulus etiam respicit ad illa verba Christi: Data est mihi **OMNIS** potestas in cælo & in terra. Hic totus mundus comprehenditur illis extremis, qui quidem est ad eum modum traditus Christo, ut in omnibus creaturis omnem habeat potestatem.

Item in Syriaco textu sic habetur: Ac subiecit omnia sub pedes eius, eumque, qui est super omnia, dedit caput Ecclesie. Hac bene sunt notanda. Nam prius ait: eum esse supra omnia: postea verò additur, eum datum esse caput Ecclesie.

Sed inquiunt: Hic non stat: implet omnia suæ substantiæ carnis.

Respon-

Respondetur: Et hinc non stat, implet omnia SOLA suâ effi-
ciâ. Requiris tu à nobis verba nostra sic expressè in sacris literis posi-
ta? Vicissim itaque requirimus, ut tua itidem verba commonstres
sic expressè posita in sacra Scriptura, ut tu ea enuncias.

Sed inquirunt: Implere omnia in omnibus, significat sola effi-
caciâ implere omnia, exclusâ præsentia.

Respondetur. At hæc glossa non est in textu: Sola scilicet effi-
cacia: item, excludi ibi præsentiam. Nos verò econtrà dicimus, hæc
verba: Ut omnia in omnibus implet: complecti & præsentiam, &
efficaciam Christi in omnibus creaturis.

Quia disertè Paulus hoc loco asseuerat: Omnia pedibus eius
subiecta esse, (omnia inquit) non homines solum, sed omnes creatu-
ras in toto mundo. Deinde licet de Ecclesia interpolet, tamen in fi-
ne concludit: Qui implet omnia in omnibus, in Ecclesia nimirum,
de qua dicit, & in creaturis omnibus, de quibus ait, omnia subiecta
esse pedibus ipsius.

Verbum autem, Implere, hinc præsentiam & efficaciam com-
plecti, & neutrum absque altero, inde patet, quia sine dubio alludit
ad illud Ieremie dictum: Cælum & terram ego impleo, dicit Domi-
nus. Hic autem in verbo Implendi non fas est excludere Omnipræ-
sentiam Dei, de qua aliàs quoque dicit: Sum Deus à propè, & non à
longè. Vtrumque igitur complectitur verbum Implendi hoc loco,
nimirum Omnipræsentiam & operationem. Nam Dei Omnipoten-
tia, & Omnipræsentia sunt coniuncta, non disiuncta.

Sic quando in Symbolo dicimus: Credo in Deum Omnipoten-
tem: hinc, quia Omnipotentiam Deo tribuimus, non excludimus eius
Omnipræsentiam, sed credimus Deum Omnipotentem esse & Om-
nipræsentem, ita ut illerectè dixerit: Præsentemq; refert una vel
herba Deum.

Sed Christo Omnipotentia Dei est data, etiam iuxta naturam
humanam in hac sua persona. Ergo ei & Omnipræsentia, quæ est
coniuncta Omnipotentia, est data, & nequaquam Omnipotentia
sine Omnipræsentia, quia utraque sunt per se idiomata Dei, & sunt

coniuncta, non sunt à se inuicem diuulsa. Et tota plenitudo diuinitatis habitat in Christo corporaliter.

Ad verbum Adimplet: Lutherus, organon Dei electum, & nequaquam postponendus, qui orthodoxi Patres vero iudicio censentur, sic annotat. Adimplet) Christus EST, & OPERATUR omnia opera in OMNIBVS CREATURIS. Ideo omnis creatura plena Christo est, ita & Ecclesia ipsius plenitudo est, eò quòd cum ipso corpus integrum & plenarius cætus est. Hæc ille. Sed hoc agitur in Sacramentario spiritu, ut Lutheri spiritus vellicetur, irideatur, conculcetur, vel apertè vel tectè, quia putat se stare non posse, nisi Luthero, viro Dei, cadente.

Quod verò isti homines tandem huc euadunt, & in dubio hærent: An Christi caro sua substantia impleat omnia, an verò tantum efficaciam id præstet, & nihil asseuerando sese reuocant: vertiginis indicium est. Nos verò perspicuè nostram fidem, sacris literis traditam, declaramus: quòd Christus sua persona iuxta utramque naturam, & sua substantia, & sua efficacia impleat omnia, adsit omnibus, & operetur in omnibus creaturis pro suo placito. Ista autem suo loco satis validè demonstrata sunt.

Ad finem quod additur: Orthodoxam antiquitatem hoc loco non statuere ubiuitatem carnis: Respondetur, & ἡ ἑκείνου Pauli Apostoli maioris est ponderis, quàm antiquorum, qui tamen posteriores sunt Apostolis. Quis verò Scriptores illos canonisauit, ita ut quicquid dixerunt, pro articulo fidei sit acceptandum? Num & ipsi hoc postulârunt vnquam à suis successoribus? Num habet eorum quisquam potestatem, vllum fidei articulum conderdi? An non scripta ipsorum potiùs sunt regulanda & æstimanda iuxta scripta Apostolorum, quàm Apostolorum scripta iuxta ipsorum libros? Iam verò Apostoli verba ob oculos posita sunt: OMNIA subiecit sub pedes eius. Item, qui omnia in omnibus adimplet. Hoc igitur & ἡ ἑκείνου nos meritò conseruare decet, nec admittere glossas aut elusiones vllorum, siue veterum siue recentium hominum, siue Patres, siue doctores vocentur.

Ephes. 4.

II.

Ephes. 4. *Ascendit super omnes cælos, ut impleret omnia.*

Elusiones
dicti ad
Ephes. 4.

Hoc dictum sic eluditur.

1. *Ad Ubiquitatem Christi adstruendam multò clarius in Scriptura sacra dictum requiritur.*
2. *Putamus (wir meinen) voce OMNIA à Paulo non comprehendi omnes creaturas.*
3. *In verbo IMPLERE haeret controuersia: An Christus substantia carnis impleat omnia, an verò virtute, effectione, operatione, donis?*
4. *Si Christus sua substantia omnes creaturas implet. Ergò Christus sua substantia est in sole, luna, stellis, folijs, lignis, lapidibus, &c.*
5. *Si implere intelligitur de efficacia, operatione, dominatione, donis. Ergò Ubiquitas carnis Christi ex hoc dicto non probatur.*
6. *Si Paulus voluisset docere, corpus Christi ubiq; esse, tum fuisset tam disertus, ut potuisset hoc exprimere, quia omne Dei consilium exposuit, Actor. 20.*
7. *Questio est: Num substantia corporis Christi sit ubique. Hac illi.*

Respondetur ad primam. Simili ratione eludunt Sacramentarij verba Testamenti Domini, quòd inde non possit extrui hac doctrina: Corpus Christi in usu sacrae Cœnae recipi à dignis atque indignis, clarioribus itaque testimonijs quus esse. Imò contendunt, ipsa verba Christi aliter interpretanda esse, quàm ibi iacent & sonant, nempe pro ipsorum capitibus: Hoc significat corpus meum: tam procul absens ab huius Cœnae sacrae usu, quàm cælum extremum à terris est. Scilicet Christus non satis clarè istis turbidis capitibus potuit loqui. Manent itaque in sua cecitate. Quid igitur mirum est, si Semisacramentarij, alteri Sacramentariorum sententia applaudentes, eadem vel arte, vel pernicacia hinc vtantur? Pauli

Responso
ad elusiones.

Ad primam,
quòd Sacramentarij eadem arte vtantur.



scilicet dictum: Ascendit super omnes cælos, ut impleret omnia: non satis esse clarum, ad Omnipræsentiam Christi in hoc mundo, iuxta utramque naturam adstruendam, ac litigent & quædam hic non retinendum esse.

Sed nobis totiquæ Ecclesia Christi satis est clarum Pauli dictum, quo asserit: Christum iuxta naturam diuinam atque humanam implere omnia, sua præsentia, & sua efficacia atque operatione.

Anabaptistæ.

Anabaptistæ simili modo pugnant: Non esse clarum ex dicto Christi: Baptisate omnes gentes: quod a infantibus sint baptisandi. Sed Ecclesia Christi rectè sentiens, contenta est voce Christi, nec potest, imò nec debet ex voce, GENTES, excludere infantes.

Ad secundam,
de voce omnia.

Ad secundam respondetur: Tuum putare non est fidei Articulus. At nos credimus voce: OMNIA, omnes creaturas hic comprehendi: quia hæc vniuersalis expressè ponitur, & nulla ibi est restrictio. Imò ideò excelsior cælis factus est Christus, ut testatum fiat, omnia eum in hoc mundo sibi habere subiecta, & eis præsentem, atque in eis efficacem esse. Et Christi vox non est perplexa: OMNIA mihi tradita sunt in cælo & in terra. Omnes itaque creatura, quæ cælo ac terra, hoc est, toto isto mundo continentur, Christo traditæ sunt, cum omnipotestate in eas, & cum omni præsentia apud ipsas. Meritò itaq; & tutissimè istis Christi verbis insistimus, nec sinimus nobis hanc Maiestatem, gloriam, & præsens imperium Christi, hominis & Dei, eripi.

Ad tertiam,
de verbo implere.

Ad tertiam respondetur. Imò verbum IMPLERE utrumque hic complectitur, quod Christus sua persona iuxta utramque naturam, diuinam scilicet & humanam, impleat omnia in mundo, nimirum sua præsentia & efficacia atque operatione. Nam immota est Christi vox: Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem seculi. Item: Pater meus usque modò operatur, & ego operor. Et nota est annotatio viri Dei, qui excellentibus donis Spiritus sancti, præsertim in verbo Dei, proprio intellectu præditus fuit. Adimplet) inquit, Christus EST & operatur omnia in omnibus creaturis.

Ad

Ad quartam cauillationem intelligendam, necesse est nos integram resolutionem eius facere, id quæ ex verbis illorum hominum. Ad quartam de eo, ac si humanitas Christi esset in omnibus creaturis Physicè.

Nam Minori, et Cõclusionem positis, ex ipsis emergit Maior, est quæ talis. Quicquid sua substantia implet omnia, id sua substantia est in Sole, Luna, stellis, lapidibus, lignis, &c. A nominibus obscænis, quibus aliàs vtuntur Sacramentarij, parumper hîc abstinere isti homines, Sacramentarios aliàs hoc dogmate imitantes.

Sed Christus sua substantia carnis implet omnia, vt pars aduersa vult.

Ergo Christus sua substantia est in Sole, Luna, stellis, folijs, graminibus, &c. A tetrioribus illationibus hîc, inquam, abstinere illi, donec alia oportunitas eis affulgeat.

Respondetur. Intelligunt lectores, istos homines ab absurdis velle confutare Ecclesia Christi veram sententiam, vt & Sacramentarij solent facere. Sed Maior falsa est. Nam substantia Dei implet omnia, id quod extra controuersiam est ex dicto Ieremie: Cælum & terram ego impleo, dicit Dominus. Sed tamen non inde sequitur, eum sua Essentia esse in Sole, in Luna, in stellis, in lignis, in lapidibus, in gramine, in busonibus, serpentibus, crocodylis, &c. quasi ibi sit inclusus. Nam est alius modus, quo Deus implet omnia, nempe sua presentia, quod adest omnibus creaturis, & sua efficacia atque operatione pro suo placito, iuxta versum: Enter PRÆSENTER Deus hîc & ubique potenter, id quæ ex verbo Dei illustri patet. Peculiari autem ratione & gratia implet Deus bonos Angelos, & homines in Christum credentes, vt suo loco expositum est.

Deinde verò ludi aguntur in verbo IMPLERE. Nam hîc Ludunt verbo Implere. in Maiori, hoc somnium in suis capitibus voluunt illi homines, quod IMPLERE significet talem impletionem, ac si stramen aut frumentum impleat saccum, vinum impleat dolium, aqua impleat lagenam. Et hinc adstruunt suum illud principium in Maiori, quasi verò Deus non haberet plures implendi omnia modos, quàm ipsi suis capitibus spirituosus possint cõprehendere. Sed vt dixi: Deus sua Essentia implet quidẽ omnia in cælo & in terra, vt os Dei pronunciat:

Sed

Sed non implet omnia, ut stramen saccum implet, aut ut ventus in-
spiratus vesicam implet, &c. Verum sua Omnipræsentia adest omni-
bus creaturis, & in cunctis operatur, quacungq; vult, vel ex gratia,
vel ex ira, idq; liberrimè.

Quod ad Minorem: S. Paulus tantum hisce verbis utitur:
Christum (Deum & hominem in una persona) ascendisse super om-
nes cælos (& ut alibi inquit: Excelsiorem cælis factum esse) ut
IMPLERET omnia, nimirum iste Christus, utraq; natura, di-
uina & humana præditus. Habuit autem hoc honoris iuxta diuini-
tatem filius Dei ab æterno: Iam autem in tempore accepit iuxta hu-
manam naturam. Non itaque Paulus loquitur ut isti: Christus sua
substantia humana implet omnia. Sed simpliciter: Christus implet
omnia, nimirum in persona iuxta utramque naturam. Nam ut di-
xi, Christo etiam secundum naturam humanam hoc gloria conti-
git, ut supra omnes cælos sit eleuatus, & impleat omnia. Sic igitur
nostra sonat propositio, quam non ab ipsis nos decet accipere, sed ipsos
à nobis audire conuenit: Christus iuxta utramque naturam, diui-
nam scilicet & humanam, est ubiq; in hoc mundo, & præsentia sua,
& efficacia atq; operatione.

Quare Christus in persona, iuxta utramque suam naturam,
non est in Sole, Luna, stellis, lapidibus, lignis, folijs, bufonibus, cro-
codylis, serpentibus, erucis, locustis, &c. tanquam stramen in sacco,
cereuisia in cantharo, remedium in pixide, &c. Sed implet omnia,
id quod sæpius recantandum est, sua præsentia vera iuxta utramq;
naturam, & sua efficacia, & operatione, modo sibi noto, & superna-
turali.

Sic igitur vides flatum illorum hominum, cauillantium rectè
doctrinam Ecclesie Dei, euanescere.

Ad quintã.

Neque quinta cauillatio consistit.

Quicquid sola efficacia & operatione, item dominatione, im-
plet omnia, id non est ubique.

Sed Christi caro, SOLA efficacia, operatione, dominatione im-
plet omnia.

Ergò

Ergò Christi caro non est ubique.

Respondetur. Minor est falsissima, & tantum est nouum commentum Sacramentariorum, & sociorum, siue ex parte, siue ex toto ipsis applaudentium. Nostra autem Ecclesia, rectè sentiens, non sic docet. Lutherus hoc nouissimo seculo noster Præceptor non sic nos erudiuit, quia inquit: EST & operatur omnia opera in omnibus creaturis. Extant etiam eius luculente confessiones de hac parte, in scriptis ipsius aduersus Sacramentarios. Videant itaque omnes Christi ouicula, quomodo hîc præsens spiritus, etiam hac in parte, conetur agere cuniculos in doctrinam & confessiones Lutheri, aduersus Sacramentarios singulari Dei instinctu & dono prolatas. Nam ista parte admissa, iam fossa acta esset non exigua in Lutheri scripta, & lacerata essent plurima folia in præstantissimi viri libris. Et huc dirigit ille spiritus omnia, quicquid tandem simulent homines.

Lutheri de
hac re sen-
tentia.

Lutherus
petitur.

*In sexta quoque obiectione videre est, quòd iste Spiritus ludat prorsus more Sacramentariorum, qui etiam subinde recantant: Si Christus & Paulus voluissent dicere, dignos atque indignos in usu sacrae Cæna comedere præsens, substantiale, naturale corpus Christi, tum tam fuissent disertissimi, ut potuissent hoc manifestis verbis exprimere, id quod factum ab ipsis non est. Sic isti Semisacramentarij, similiter eludentes Pauli dicta, quæ nobis in Ecclesia Christi sunt satis perspicua, reformant Paulum, quòd videlicet iuxta ipsorum capita & linguas debuisset dicere: Corpus Christi est ubique. Ista autem fastuosa & flatuosa temeritas non est probanda. Satis plana res est, quod Apostolus dicit: Christum (qui Deus & homo est) ascendisse supra omnes cælos, atque **IMPLERE OMNIA.***

Ad sextam
elusionem.

Ad vltimum quod attinet, non permittendum est aduersarijs, ut nobis propositiones fingant, & gignant. Est autem supra planè ac dilucide nostra propositio expressa, in refutatione quarti puncti.

Ad vltimum.

Quid igitur isti homines in hac quoque elusione obtinuerunt? Nihil prorsus, sed in eludendo dicto Apostolico suum prodiderunt vanitatis spiritum.

L

Psal. 8.

Pfal. 8. Constitues eum super opera manuum tuarum. OMNIA subiecisti sub pedes eius: Oves & boues uniuersos, & pecora campi. Volucres cæli, & pisces maris, & quæ perambulant semitas maris.

Hoc dictum sic eluditur.

1. Dominatus seu imperium super omnes creaturas, & Ubiquitas carnis Christi, sunt disincta, & procul (nota procul) seiuncta.
2. Hic queritur: Omnia subiecisti sub pedes eius: quid significet? An significet ubiq, esse, an verò super omnia potestatem habere?
3. Textus inquit, Constitues eum super omnia. Ergò potentiam, dominationem, gubernationem significat. Sic & Paulus Ephes. 1. loquitur: Super omnem principatum & potestatem.
4. Negamus, quòd is, qui omnia sub pedibus habeat, sit Omnipræsens.
5. Hoc necesse esset verbo Dei expressum esse. Hæc illi.

Deo Omnipræsenti-
am
adimunt.

Respondetur: Puncto quarto blasphemum omnino dogma traditur: quòd is videlicet, qui omnia sub pedibus habeat, NON sit Omnipræsens. At Deus est, qui omnia sub pedibus habet. Ergo Deus scilicet NON est Omnipræsens. Implet scilicet cælum & terram, & NON est Omnipræsens? Et qualis est Deus, qui cum ubique totus sit: tamen non sit Omnipræsens in toto suo mundo? Est itaq, duratæ Iupiter Poeticus, qui tantum in cælis sedeat, Maiestatis suæ throno contentus, nec præsens sit, nec adsit suis creaturis. Falsus est igitur iste Germanici Poetæ versiculus, omnium ferè eruditorum libris celebratus: Præsente m̄q, refert vna vel herba Deum. Falsum est, quòd Deus in Propheta de se dicit: Deus à propè ego sum, & non Deus à longinquo. Ista itaq, cum negent isti homines tam audacter, ipsiq, Deo Omnipræsenti-
am in creaturis omnibus sibi subiectis derogent, annón ipsa principia doctrinæ labefactant? Annón os ponunt in cælum? Et hoc principio subruto, quid nobis remanebit de consolatione in necessitatibus, & in ipsa inuocatione? Sic igitur decet impingere

plingere ac ruerē eos, ut ipsi Deo suam proprietatem destruant, quæ
nōua dogmata in Ecclesiam Dei volunt inuehere.

Ex isto itaque fundamento nascitur, quòd primo loco ebucci-
natur absque omni probatione: Dominationem videlicet, seu impe-
rium super omnia, & Vbiquitatem carnis Christi, esse procul à se in-
uicem remota. Vbi verò hoc in verbo Dei scriptum est? Ad omnia
simulant se requirere manifestum Dei verbum. Vbi igitur manife-
stum Dei verbum extat: Imperium super omnia, & Vbiquitatem
carnis Christi, procul à se inuicem esse diuisa? Vos quidem eiusmo-
di verbum Dei hîc non profertis.

Vbiquitatem
ab impetio
super omnia
procul remo-
uens.

Deinde cogimini fateri: Dominatum seu imperium super om-
nes creaturas datum esse Christo, etiam quâ homo est, seu iuxta hu-
manam naturam, assumptam in unionem diuinæ personæ filij Dei.
Hæc autē est per se quidem diuina proprietas, in hac personali unio-
ne, data etiã humana nature. Hoc, inquam, vosmet concedere cogi-
mini. Ergo simul Omnipresens Christo iuxta humanam naturam
data est, in persona hac diuina, quæ per se Omnipresens est. Nam ut
in Deo omnis potestas in omnes creaturas, & omnis presentia in to-
to mundo, quòd adest omnibus creaturis, non sunt procul ab inui-
cem remota, sed coniuncta: ita etiam, quia hæc diuina proprietas
Christo data est in persona, ut natura humana in hac persona di-
uina habeat dominatum & imperium super omnes creaturas, (id
quod Semisacramentarij hîc non audent insciari) simul data est ei
Omnipresens in persona iuxta humanam naturam. Fatuitas
autem, imò blasphemia in Deum est, dominationem & impe-
rium super omnes creaturas, & ubiquitatem, procul à se inui-
cem esse remota atque disiuncta. Etsi autem isti homines excipere
moliuntur, se de carne Christi tantum loqui: tamen hoc eos non re-
leuat, quia carni Christi adhuc hîc concedunt dominationem & im-
perium super omnes creaturas. Item in quarto prædicto simpliciter
pernegant: eum, cui omnia sint sub pedes subiecta, esse Omni-
presens. Duo itaque isti spiritus hîc asseuerant: Vnum, Eum, Duo errores
cui omnia sunt sub pedes subiecta, non etiam esse Omnipresens. 1.

Imperium
super omnia
datum. Ergo
& Omnipre-
sentia.

Fatuitas est
disiungere
imperium
super omnia
ab ubiqui-
tate.

L 2

Alterum:

2. Alterum: Dominatum & imperium super omnes creaturas, & omnipræsentiam, procul à se inuicem seiuncta atq. remota esse. Ista autem noua dogmata, hæcenus ignorauit nostra Dei Ecclesia.

Vbiquitas
fecundum
vtramque
naturam in
persona.

Ac de Christo quidem, iuxta vtramque naturam in persona, extant luculenta testimonia, quæ non patiemur nobis ullorum cauillis obtenebrari, aut eripi: Ecce ego vobiscum sum, vsque ad consummationem seculi. Hic autem: EGO, est Christus Deus & homo, & iuxta vtramq. naturam ait, se nobis præsentem adfuturum. Item: Ero in medio eorum. O dulcem consolationem, quòd Christus Deus & homo est in Ecclesia sua cætu, imò habitat quoque in credentibus. Ista, de Omnipræsentia Christi in sua Ecclesia loquuntur. Item, tradita mihi sunt omnia. Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra. Item, Ascendit super omnes cælos, vt impleret omnia, &c. Hæc testimonia, non duntaxat de dominatu & imperio Christi, iuxta vtramque naturam in persona, super omnes creaturas, docent, sed etiam de Omnipræsentia eius, quòd adest omnibus creaturis, quia imperium super omnes creaturas, & Omnipræsentia, non sunt à se inuicem procul remota aut disiuncta, sed arctissimè coherent, vt, vbi est hæc diuina proprietas: Imperium scilicet, super omnes creaturas: ibi simul est Omnipræsentia in toto mundo apud omnes creaturas. Detestamur itaque hoc impium dogma: Qui omnia habet sub pedes suos subiecta, eum NO NESSE Omnipræsentem: quasi omnis potestas super omnes creaturas alicui dari possit, absque Omnipræsentia in toto mundo, ne adsit omnibus creaturis.

2. Querunt illi, quid significet: OMNIA subiecta habere sub pedibus? An vbiq. esse? an verò super omnia potestatem habere? Respondetur. Vtrumque significat, quia super omnes creaturas potestatem habere, & omnibus creaturis præsentem adesse, coniuncta & non disiuncta sunt. Sic enim se declarat Deus, quòd non discesserit à suis operibus creatis, vt architectus à domo condita, sed cunctis creaturis adsit, & in omnibus operetur pro beneplacito. Præsentemq. Deum, vna vel verba docet. In ipso viuimus, mouemur & sumus. Cum ipso sum in tribulatione. Deus est propè. Cælum & terram im-
plex

plet Dominus. Ingens igitur profectò est temeritas, & impietas: remouere Omnipræsentiam Dei à creaturis omnibus, ac fingere, Deum quidem habere dominationem super omnes creaturas, sed Deum non esse omnipræsentem suis creaturis.

Sic de Christo sentiendum est. Omnia subiecta esse pedibus eius, hoc est, datam ei esse omnem potestatem in cælo & in terra, & simul Omnipræsentiam apud omnes creaturas, pro suo placito. Nam etiam ista dicta sunt à Christo, & de Christo iuxta utramque naturam: Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus. Item: Pater usque modò operatur, & ego operor. Adest autem Deus creaturis. Sic & humana natura hoc datum est, ut præsens operetur in creaturis.

Est itaque & hæc magna temeritas, Christo quidem, iuxta naturam humanam quoque in persona filij Dei, esse datam omnem dominationem super omnes creaturas: Sed NON eidem datam esse Omnipræsentiam, ut possit adesse omnibus creaturis. Quid verò est regere in mundano imperio, & non esse suis subditis præsentem, sed alicubi in Vtopia sedere, & leges dictare in solitudine? Equidem Cæsar Romanus, licet non sit simul & semel (utpote nudus homo) omnibus suis subditis præsens: attamen quibusdam est præsens, & subinde iam hosce, iam alios suos subditos visitat. Et Christus, Dominus omnium creaturarum, non debet eis præsens adesse in persona, iuxta utramque naturam, cum tamen scriptura dicat: Eum omnia in omnibus adimplere, non solum efficacia, sed etiam præsentia, ut annotauimus.

Ad tertium quod attinet, ubi dicitur: Textus habet: Constitues eum super omnia. Ergo potentiam & gubernationem ei attribuit, non Omnipræsentiam. Violenta est textus interpretatio. Nam istis verbis utrumque comprehenditur, & quòd super omnes creaturas potentiam ac gubernationem: & quòd Omnipræsentiam apud omnes creaturas habere debeat, omnibusq; adesse, pro suo placito. Constitutio itaque super omnia non admittit, ut dominatio super omnia, & Omnipræsentia apud omnes creaturas pro beneplacito, à se inuicem procul seiungantur ac discerpantur.

Quartum punctum primo loco attigimus. In quinto rursum fastiditis satis claris Scriptura sanctæ testimonijs, ut & hic ipse Psalmus octauus est aliquoties in nouo Testamento de Christo repetitus. Talia verba postulant sibi noui isti Semisacramentarij suppeditari, qualia ipsi præscribunt. Idem verò in suis materijs Sacramentarij, Anabaptistæ, & similes, postulant.

Stat itaque hoc Psalmi octauus fundamentum adhuc firmiter, quo Ecclesia Christi asserit: Christum in persona iuxta utramque suam naturam, nempe diuinam & humanam, omnipræsentem esse in toto hoc mundo. Constitutus enim est super opera manuum Dei. OMNIA subiecta sunt pedibus eius. Qui dicit: Omnia opera Dei. Item, qui dicit: OMNIA subiecta: nihil excipit, neque subtrahit Omnipræsentiam. Visum denique est huc adscribere verba Lutheri ex libro, quòd verba: Hoc est corpus meum: adhuc firmiter consistant. Das will auch Christus / so oft er im Euangelio bekennet / daß ihm alles sey vbergeben vom Vatter / vnd alles vnter seine Füße gethon / Psalm. 8. Das ist / er ist zur Rechten Gottes. Welchs ist nichts anders / denn er auch / als ein Mensch / vber alle ding ist / alle ding vnter sich hat / vnd darüber regieret. Darumb muß er auch nahe darben / drinnen vnd drums sein / alles in Händen haben / &c. Denn nach der Gottheit ist ihm nichts vbergeben / noch vnter die Füße gethon / so er zuuor alles gemacht / vnd erhelet. Sigen aber zur Rechten / ist souil / als regieren / vnd Macht haben vber alles. Soll er Macht haben vnd regieren / muß er freilich auch da sein / gegenwertig / vnd wesentlich / durch die Rechte Hand Gottes / die allenthalben ist. Hactenus Lutherus.

IIII.

Matth. 28. Data est mihi omnis potestas, in cælo & in terra.

Hoc dictum ita eludunt.

Matth. 28. quomodo eludant. Ista sententia TANTVM loquitur de potestate data Christo iuxta humanitatem, & non de Omnipræsentia eius.

Respondetur. Non satis est, pro autoritate sic ebuccinare. Nos verò contrà statuimus, & credimus, quòd hoc dicto & omnis potestas

testas humana naturæ in Christo, & simul eius Omnipræsentia comprehendatur. Rationes sunt hæc duæ potissimum.

Primum, quia mox eodem loco Christus, quasi explicaturus aliquam partem eorum, quæ dixerat, subiicit: Ecce (attentionem notat) EGO (cui scilicet omnia tradita sunt in cælo & in terra, etiam iuxta humanitatem) ero vobiscum omnibus diebus, usque ad consummationem seculi. Hoc est expressum & illustre testimonium, quod Christus in persona, etiam iuxta humanitatem, sit ubique præsens in sua Ecclesia, & credentibus. Neque hæc admittimus cavillationem.

Deinde, quia omnis potestas Dei, & Omnipræsentia Dei, non sunt disiuncta, sed coniuncta. Enter præsentem Deus est, & ubique potenter. Cælum & terram ego impleo, dicit Dominus, nimirum præsentia & efficacia. Et Christus etiam iuxta humanitatem suam, in persona accepit diuinam omnem potestatem. (Nam omnis potestas non est per se aliquid humanum.) Ergo cum diuina Omnipotentia accepit & Omnipræsentiam iuxta humanam naturam, ita ut adsit omnibus creaturis, & in eis operetur, ut ipsemet inquit: Pater meus usque modo operatur, & EGO (Deus & homo) operor.

Est insuper magna tyrannis, & crudele facinus, attribuere Christo in persona, etiã iuxta humanitatem, imperiũ (in actu positum) in omnes creaturas in cælo & in terra, & tamen eam, tanto imperio donatam, & operantem in omnibus creaturis humanitatem Christi, excludere ab Omnipræsentia, quod videlicet NON adsit sanctis creaturis, quas actu regit, & in quibus operatur. Nulli Regi, nulli principi, nulli patrifamiliã in his terris tribuitur potestas in bonis sibi concessis, ita ut adimatur ipsi præsentia in suis bonis. Etsi enim sit ignauus Sardanapalus, in uno plerumque loco residens, nec possit simul & semel apud omnes suos subditos esse: tamen adest aliquibus, circumit, nunc hosce, nunc alios visitans, aut per vicarios regit omnes. Iam verò nefario profecto conatu illi, cui concessa & data est omnis potestas, omne imperium, omnis operatio in omnibus creaturis in cælo ac terra, adimitur, detrahitur, eripitur omnis præsen-

præsentia apud suas creaturas. Quasi verò humana in Christo natura, procul, procul, procul seiuncta atque remota à diuinitate (quæ ubique creaturis adsit in toto mundo) sedeat in extremo cælo, ibiq; sola scientia, solo nutu, sola operatione, regat ac moderetur omnes creaturas. Vbi verò hoc sacra litera docent? Flagitant illi semper clarum Dei atque expressum verbum. Vbi verò verbum Dei tradit: Sola scientia, solo nutu, procul absentem naturam humanam in Christo omnes creaturas regere, & in omnibus operari? ubi, ubi, ubi hoc scriptum est?

An verò hoc non est ori ipsius Christi responsare, qui disertis verbis inquit: Ecce ego ero vobiscum omnibus diebus? Item: Non relinquam vos orphanos? Item: Ascendit super omnes cælos, ut impleret omnia? Inquit, omnia, sicut ei tradita sunt omnia in cælo & in terra. Omnia itaque, sunt omnes creature, quas sua præsentia & efficacia regit. Hæc igitur dicta de Omnipræsentia personæ Christi iuxta utramque naturam non patiemur nobis eripi ullis cauillationibus, quicumque tandem illi sunt.

Diuidit personam eam ratione.

An verò hoc non est diuellere, ac lacerare naturas in persona Christi indissolubiliter unitas: naturam in Christo diuinam, ponere Omnipræsentem in hoc mundo, ita vt non ibi sit humana natura, sed procul, procul, procul sit à diuina seiuncta atque remota? Nos verò talem Christum non nouimus, in quo natura eius diuina sit in hoc mundo, ubi eius humana natura non sit. Non enim est ille noster Christus, qui solus Deus sit, neque qui solus homo sit, sed qui in vna diuina persona filij Dei sit Deus & homo, inconfuse atque inseparabiliter, & indistanter unitis duabus hisce naturis, diuina & humana, vt sæpè dictum est.

Abominabile quid vocent.

Neque est pia vox, quam hic, & aliàs sæpius recitant: Esse non fundatam, esse **ABOMINABLEM** (*abschewlich*) Vbiquitatem, seu Omnipræsentiam humanæ naturæ in persona Christi. Est ne autem hoc abominabile, quod Christus inquit: Ecce ego vobiscum omnibus diebus? Est ne abominabile, quod inquit: Ero in medio

sedio eorum, &c. Est ne abominabile, Christum adesse suis creaturis, quæ sibi sunt subiectæ? Absit.

Atqui hoc est abominabile rationi humane, quæ ista Dei opera non capit. Et planè sic etiam Sacramentarij blasphemant, & ista omnia exosculantur, quæ illi hac in parte proferunt, quemadmodum gratulabundi hoc ipsum in publicis libris attestantur. Sic scilicet aves Amelingus. eiusdem coloris sese inuicem agnoscunt, & unã cantilenam sonant.

Imò abominabile est, quod verbo Dei aduersatur. Sed hoc nouum dogma palàm verbo Dei repugnat, scilicet: ubi natura Christi diuina est, ibi non necesse est naturam quoque humanam esse. Ista distractio, diuisio, laceratio naturarum ex persona filij Dei, in qua sunt inseparabiliter unitæ, abominatio summa est coram Deo, & tota Ecclesia Christi.

Quod verò additur in his dictis: Data est mihi omnis potestas. Item: Ut impleret omnia: hoc quidem includi, quòd possit Christus natura sua humana esse ubique, in omnibus creaturis, si velit, sed non velie, vanitatem indicat. An verò non vellet, cui omnis potestas in cælo ac in terra data est? Cùm ei omnia in toto mundo sint subiecta? Imò cum impleat quoque omnia? Neque Apostolus ibi diuidit Christum: de tota enim persona, & utrisque in ea naturis loquitur. Nec discernit voce (omnia) creaturas.

V.

Psal. 71. Dominabitur à mari vsque ad mare, & à flumine vsque ad terminos orbis terrarum.

Hoc dictum sic eludunt.

Loquitur de amplitudine regni Christi, quod nullis limitibus est circumscriptum: nihil verò de Omnipræsentia eius dicit. Psal. 71. di. et clusio.

Deinde Christus iuxta suam diuinam naturam omnibus creaturis est præsens, implet omnia in omnibus. Substantiã suã ubique est, & in omnibus creaturis. Ergo NON ABSENS suum regnum administrat.

Tertiò, Christus Deus & homo est præsens in sua Ecclesia, qua de re habemus expressas ipsius promissiones: Vbi duo vel tres congregati

M

gregati

gregati sunt in nomine meo, ero in medio eorum. Item: Ecce ero vobiscum omnibus diebus, usque ad consummationem seculi, Matth. 28. Idq̄ intelligimus de toto Christo, Deo & homine.

Sed non est sua natura humana Christus aliàs in omnibus creaturis, in lignis, lapidibus, folijs, graminibus, &c.

Ratio est: Quia Christus potest regnum suum super omnes creaturas administrare, licet sua humanitate non sit in omnibus creaturis. Omnem potestatem accepit, iuxta utramque naturam. Ergo coguntur ei obedire omnia in cælo & in terra. Hæc illi.

Omnipo-
rentia &
Vbiquitas
coniuncta.

Respondetur. Probatum est suo loco: Omnem potestatem in toto mundo, & omnem præsentiam in toto mundo, coniuncta, non disjuncta esse. Vbi igitur homini Christo, seu iuxta humanitatem eius in persona, tribuitur omnis potestas super omnes creaturas, ibi simul tribuitur ei Omnipræsentia, quod omnibus creaturis sibi traditis præsens sit, atque eas regat pro placito. Quæ igitur suprâ dicta sunt, & huc spectant.

Diuinitatis
præsentia si-
ne humani-
tate diuellit
personam.

Quod deinde Christus (nota, Christus: nam de hoc in præsentia sermo est) sola sua diuinitate sit ubique, & in omnibus suis creaturis præsens, non absens, sed naturâ suâ humanâ, in unionem personæ indissolubiliter assumpta, non sit omnipræsens omnibus creaturis sibi traditis & subiectis, sed sit ab eis ABSENS, & sic unicus Christus dimidiatus sit absens, & dimidiatus sit præsens suis creaturis: nouum prorsus dogma est, diuellens, & procul à se inuicem remouens naturas in persona filij Dei unitas. Vbi verò sic expresse docent sacra litera? Hoc itaque reuera est abominabile dogma coram Deo & Ecclesia. Talis Christus non est, neque talem Christum agnoscit & credit sincera Christi Ecclesia, in quo nature unitæ inseparabiliter tanto ausu discerpuntur, & alicubi in mundo dicitur esse diuinitas Christi, ubi non sit humanitas ipsius. Istam igitur vocem nouorum doctorum, quam nunquam Christus edidit, non possunt neque debent audire vel amplecti germanæ Christi ouicula, idq̄ iuxta Archipastoris concionem & mandatum: Oues meæ vocem meam audiunt, & ego cognosco eas, & sequuntur me. Item:

Nouum
dogma.

Alie-

*Alienum non sequuntur, sed effugiunt ab eo, quia non nouerunt
vocem alienorum, Ioan. 10.*

Postremo loco ratio attexitur, quia scilicet iuxta Omnipotentiam utriusque naturæ possit omnes creaturas regere, & omnes oportere ei obediens esse, licet iuxta humanitatem Christus non sit Omnipræsens, neque adsit omnibus creaturis.

Respondetur. Quid? est ne hoc uerbum Dei proferre, quod tantoperè aliàs illi exigunt? Vbi verò hoc expressè docet uerbum Dei? Nuspiam. Annón igitur híc somnia propria priorum capitum proferuntur? An fides nostra talibus opinionibus capitum humanorum potest insistere? An ingressus es in pectus, vel in caput Dei, ibiq; scrutatus es arcana eius, ac iussus es in Ecclesia Christi ebuccinare, quæ scilicet Deus secretò cogitauit, quæq; ipse in uerbo suo non enunciauit? Non porrò queritur híc, quid Deus possit facere? sed quid velit facere, & faciat. At spiritus Dei absque discrimine sic dixit: Ascendit super omnes cælos, ut impleret omnia, nimirum præsentia & efficaciam suam, quia, inquam, híc non distinguitur, neque excluditur præsentia ab efficacia Christi Dei & hominis.

Quod porrò tertio loco dicitur de Omnipræsencia Christi iuxta utramque naturam in sua Ecclesia & credentibus, id rectum, id uerum, id pulchrum est, toto pectore credendum ac retinendum. Sed hoc ipsum pugnat cum hoc nouo principio: Christum non esse iuxta utramque naturam Omnipræsentem in toto mundo, non adesse cæteris creaturis. Nam istam distinctionem non tradunt sacræ literæ. Nuspiam legis in uerbo Dei: Natura humana in persona Christi habet quidem omnem potestatem atque imperium in omnes totius mundi creaturas. Item: Est in Cæna sacra & in Ecclesia, sed non est omnipræsens, non adest cunctis illis creaturis.

Hæc, inquam, negatiua atque exclusio non extat expressis uerbis in sacra Scriptura, nec potest firma consequentia inde extrui.

Duas quidem species faciunt isti homines, ubi Christus non solum iuxta diuinitatem, sed etiam iuxta humanitatem sit omnipræsens, nempe in sua Ecclesia, & in usu sacrae Cœnæ: Tertiam verò excludunt, nempe quòd hic Christus in persona, iuxta diuinam & humanam suam naturam, sit præsens apud omnes suas creaturas. Sed sine verbo Dei, & contra verbum Dei id faciunt, eamq; tetram notam sibi inurunt, quòd diuellant duas in Christo naturas, easq; procul à se inuicem seiunctas disterminent, hoc impio dogmate posito: Vbi natura Christi diuina est, ibi non necesse est quoq; humanam naturam esse. Das briche der Sachen den Hals. Hæc reuera & realiter tollunt unionem duarum naturarum indissolubilem in vnica persona filij Dei.

VI.

Simili modo eludunt illi dictum Psalmi 93. Dominus regnum inchoauit, quàm procul est mundus. Item Apocal. 5. Dignus est Agnus, qui occisus est, accipere virtutem, &c. Hæc inquit, de regno Christi super omnes nationes dicuntur, & non de Omnipræsentia naturæ humanæ in persona Christi.

Eadem autem responsiones supra posita & huc spectant. Non enim expressis verbis, in his sententijs, excluditur Omnipræsentia carnis Christi in persona, cui vnita est, imò potius includitur.

Ανακεφαλαιώσις & conclusio.

Omne falsum dogma eam habet proprietatem, vt ex falsis fundamentis oriatur, aut ex malè detortis sententijs per se bonis, & falsis fundamentis subsistat, & porrò gignat fæcundos & portentosos falsorum dogmatum fœtus. Id verò etiam in hoc nouo dogmate fit, vbi contenditur: Humanam Christi naturam in persona filij Dei, non esse vbique præsentem omnibus creaturis, ipsi subiectis cum omni potestate. Hoc autem falsum dogma nascitur ex illis præsuppositis falsis dogmatibus.

1. Vbicunque vna Christi natura est, ibi non necesse alteram quoque esse propter unionem.

2. Huma-

2. Humana natura NON est, ubicunq; est diuina.
3. Constat unio hypostatica, etiamsi humana natura Christi non sit, ubicunq; est diuina natura τὸ λόγος.
4. Non ex unione hypostatica hoc conficitur, quòd ubicunq; est λόγος, ibi etiam sit caro λόγος unita.
5. In passione, in sepulchro, &c. Corpus Christi tum NON fuit, ubicunq; fuit diuinitas λόγος.
6. Diuinitas Christi in passione fuit ubiq;: humanitas verò Christi tantum fuit in vno loco, in cruce, & non fuit, ubicunq; diuinitas tum fuit.
7. Dominatus seu imperium super omnes creaturas, & Ubiquitas carnis Christi, sunt disiuncta, & PROCVL (Nota Procul) à se inuicem seiuncta.
8. Infiniti ad finitum nulla est proportio.
9. Imperium & dominatio super omnes creaturas, data sunt nature humane in Christo, sed non Omnipresentia apud istas creaturas sibi subiectas.
10. Natura diuina in Christo implet omnia in omnibus creaturis, sed non humana eius natura.
11. Natura, qua non existit sua substantia in singulis creaturis, in impijs hominibus, in Sole, in stellis, in arboribus, in plantis, in singulis arenis, & piscibus maris, &c. ea non est suâ substantiâ præsens omnibus & singulis creaturis, etiamsi imperium habet in omnes.
12. Christus humana sua natura NON est præsens omnibus & singulis creaturis extra Ecclesiam, licet imperium PLENVM obtineat super omnes creaturas.
13. Diuinitas in Christo EST suâ substantiâ, & operatur in omnibus creaturis. At humanitas unita diuinitati, NON est sua substantia in omnibus creaturis.
14. TANTVM operatione & dominatu implet omnia, humana in Christo natura, sed non sua Omnipresentia.

15. *Psalmus octauus NON de Ubiquitate, seu Omnipraesentia, sed TANTVM de dominatione, imperio, potestate, & gloria intelligendus est.*

16. *Christus sua diuina natura omnibus creaturis praesens est, & implet omnia substantia sua, ubique est, & in omnibus creaturis (& NON sua humana natura) Ergo non absens suum regnum administrat. (Nota, Absens est sua humana natura, praesens est sola diuina natura.)*

17. *In dictis: Data est mihi omnis potestas. Item, Subiecta ei sunt omnia: Implet omnia: comprehenditur quidem, quod Christus sua natura humana possit esse, ubicunque velit: sed inde elici non potest, quod velit.*

18. *Non credimus, inquiunt, substantiam corporis Christi, collocatam ad dexteram Dei, ubique, aut omnibus creaturis praesentem esse.*

19. *In Articulo: Sedet ad dexteram Dei: non ibi legitur: ubique est Christus corpore: sed, sedet ad dexteram Dei.*

Lutherus retractauit suam sententiam de Omnipraesentia carnis Christi apud omnes creaturas, quia inquit: In diser sachen. Item, Hier id est, in controuersia & in articulo de Caena non esse disputandum de Ubiquitate cum Sacramentarijs. In dictis, quae scripsit amicis in libris ipsorum.

20. *Omnipraesens est Christus sua quoque humana natura in Ecclesia, & in sua sacra Caena. At non est omnipraesens sua humana natura apud omnes creaturas, super quas tamen habet omnem potestatem, & plenum imperium, & quae omnes ei subiectae sunt.*

Ista ex verbis istorum hominum desumpta ac descripta sunt.

Hinc & alia inconuenientia sequuntur. Vt:

1. *Dimidiatus Christus est ABSENS creaturis sibi subiectis, scilicet iuxta humanitatem: & Dimidiatus Christus est PRAESENS creaturis omnibus sibi subiectis, scilicet iuxta diuinitatem.*

Sic

Sic scilicet distrahuntur, & seiunguntur natura, quia disertè dicunt: Vbi una Christi natura est, ibi non necesse est alteram quoque esse.

2. Christus gubernat omnes creaturas, sibi in toto mundo subiectas ipso actu, idque pleno imperio etiam iuxta humanam naturam. Sed non est præsens omnibus creaturis iuxta naturam humanam.

3. Christus iuxta diuinam suam naturam gubernat omnes creaturas, **PRAESENTIA** & efficacia. At Christus iuxta humanam naturam hypostaticè unitam λόγῳ, easdem creaturas omnes, etiam iuxta humanitatem cum omni potestate sibi subiectas, ita ut plenum in eas habeat imperium, gubernat **TANTVM SOLA** efficacia & potentia, & non quoque **PRAESENTIA** sua apud omnes creaturas. Sic scilicet præsens, & non præsens est Christus.

4. Omnem potestatem, quam & filius Dei habet, accepit & habet humana natura in persona filij Dei, cui unita est. Sed præsentiā apud omnes creaturas, quam habet filius Dei, non accepit, neque habet humana natura in Christo.

5. Idiomatica sua diuina filius Dei communicauit naturæ humane, quam assumpsit in unionem personæ, ut Omnipotentiam, &c. Sed Omnipræsentiā apud omnes creaturas, quæ idem est idioma diuinum, non communicauit naturæ humane assumptæ in unionem hypostaticam.

6. Personam suam diuinam λόγῳ communicauit naturæ humane assumptæ, & tamen hoc idioma, quod propriū est isti personæ, nempe Omnipræsentiā, non communicauit naturæ humane assumptæ in unionem personæ.

7. Tota plenitudo diuinitatis habitat in Christo corporaliter, (id est, tanquam in proprio corpore) sed Omnipræsentiā (quæ sanè etiam ad plenitudinem diuinitatis pertinet) non habitat in corpore Christi.

8. Natura diuina Christi, procul, procul, procul absuit ab humana natura Christi patiente in cruce, quia ut dicunt: Non necesse est, ut ubicunque sit diuina Christi natura, simul quoque ibi sit humana natura.

9. Sic diuina natura Christi, Christo patiente in cruce, (quia fuit ubique, ubi non necesse est humanam quoque naturam esse, uti loquuntur) fuit alicubi, ubi non passa est carne.

10. Sic Deus non est passus, non redemit nos sanguine suo, quia scilicet diuinitas Christi, Christo patiente in cruce, fuit ubique, ubi humanitas Christi non fuit. Si autem humanitas simul cum diuinitate Christi non fuit, alicubi Deus eo tempore non redemit genus humanum.

11. Item hac inde nascitur doctrina: Duplicem esse naturam diuinam Christi, una que in cruce fuit unita humanitati Christi, & ab ea non discessit: Et una, que alicubi tum fuerit, ubi non fuerit humana Christi natura.

12. Nascitur & hac doctrina inde: Personam Christi diuinam in cruce fuisse, quia extra suam personam non est ibi passus: Et personam Christi extra humanam Christi naturam tum fuisse, quia ea tum alicubi fuerit, nempe ubique, ubi humana natura non fuerit simul.

13. Contradictoria manifestè asseruntur: Unionem personalem diuinam & humanam naturam ante, in, & post passionem mansisse, & mansuram in æternum, indissolubilem, indiuisam, inseparabilem: & tamen velis remisq, intensis certant: Non necesse esse, ut ubicunque est una Christi natura, ut ibi quoque sit altera. Sic in passione: Christi diuinitatem fuisse ubique, ubi non fuerit quoque humana natura.

14. Item: Alicubi est Omnipræsens sua naturam humanam Christus, ut in sacra Cæna, & in Ecclesia: (Nam id isti homines admittunt, utpote in eo dissentientes à Sacramentarijs.) Et alicubi, hoc est, apud cæteras creaturas omnes, sibi tamen pleno imperio subiectas, non est natura sua humana Omnipræsens.

Ista & complura alia inconuenientia ex præmissis asseuerationibus sequi, haud obscurum est.

15. Damnatur porrò ex aduerso ab illis hominibus audacter hoc verum dogma pro falso: Ubicunque est diuina natura τὸ λόγος, ibi necesse

neceſſe eſt & humanam naturam exiſtere: ſeu, Vbicunq; eſt Deitas τὸ λόγος, ibi neceſſe eſt ipſam quoque carnem exiſtere, λόγῳ hypotaſticè unitam.

16. *Damnatur ab ipſis & hoc dogma verum: Chriſtus ubique & Omnipreſens eſt omnibus creaturis, iuxta utramque naturam.*

17. *Item, Caro Chriſti Omnipreſens eſt in perſona filij Dei omnibus creaturis.*

18. *Item, Chriſtus implet omnia iuxta utramque naturam præſentiâ & efficaciâ.*

19. *Damnatur, quòd omnis poteſtas, item omnia habere ſibi ſubjecta, etiam comprehendant Omnipreſentiam.*

Hæ quoque damnatoriæ voces ex illorum hominum verbis deſumptæ ſunt.

Iſta autem omnia ſub finem iſtius partis tam breuiter, tam planè, tam perſpicuè, quaſi recapitulando priora, ob oculos ponere volui, ut omnes p̄y, imò omnes ſano cerebro præditi, per Dei gratiam facile cernerent, qualia nona dogmata & portenta, in Eccleſiam Chriſti, aliàs ſatis ſuperq; afflictam, nonnulli homines ſpargere moliantur, nouaq; ſchiſmata cum plurimorum hominum exitio concitare, & ut diſcerent ea dijudicare & fugere. Nam Chriſtus inquit: Cauete. Item: Alienam vocem non audiunt, &c. Orandus etiam Deus eſt, ut exorbitantes omnes in viam veritatis reducat, aut coherceat, ne totam Chriſti Eccleſiam magno damno afficiant. Omnino ſunt poſtrema huius ætati mundi tempora, ubi eiſmodi tumultus & confuſiones Eccleſiaſtica & politica, aduentum Ieſu Chriſti ad iudicium vniuerſale prouocant. Veni igitur Ieſu Chriſti, veni, ac fini tandem tuam orationem, noſq; ab omni malo libera, hoc eſt, à peccato, à morte, à Diabolo, ab immundo mundo, & ab inferno, Amen, Amen.

N

DE

De Ubiquitate, seu Omnipræsentia carnis Christi in Testamento suo specialiter.

AN SIT.



Quod caro Christi sit, ubicunque locorum Testamentum Domini porrigitur, & usurpatur iuxta institutionem Testatoris, certum est.

Quia Christus Testamentum hoc suum non pro uno saltem tempore instituit, sed ut obseruetur hoc Testamentum, donec iterum veniat ad iudicandum viuos & mortuos.

Quia non pro solis Apostolis instituit hoc admirabile Testamentum, sed pro tota Ecclesia, omnibus etatibus, & omnibus in locis huius mundi viuentibus, usque ad mundi istius interitum.

Quia ipsa veritas sic dicit: Accipite, comedite, hoc est corpus meum, quod pro vobis traditur, &c. Non vult autem unum saltem hominem hoc Testamento frui, sed omnes homines in sua Ecclesia, omnibus in locis, ubicunque degunt.

Quia ipse omnipotens Deus sic ordinavit pro suo beneplacito, quod velit corpus suum dare manducandum, & sanguinem suum bibendum quouis tempore, & quouis loco, ubi in sua Ecclesia hoc suum Testamentum, iuxta suam institutionem, porrigitur & usurpatur.

Hæc doctrina igitur de Omnipræsentia carnis Christi in Testamento suo, claris, perspicuis, immotis verbis veracis & omnipotentis Christi dictata & confirmata, propter imbecillitatem ingenij humani, aut cavillationes nequitiosas malorum spirituum, non debet infringi, aut conspurcari.

QV I D.

Omnipræsentia carnis Christi in Testamento suo est, quod Iesus Christus corpus suum comedendum, & sanguinem suum bibendum,

Sum, in hac sacra sua Cœna præbet, atque exhibet omnibus hominibus, in omnibus locis orbis terrarum, iuxta sua clara & certa verba, in hoc Testamento expressa ista Cœna utentibus.

EFFICIENS.

Deus ipse est causa huius Omnipresentiæ carnis Christi in suo Testamento. Nam Christus ipse, qui non solum homo est, sed et Deus, hoc sic sancivit & ordinavit, & quod voluit atque instituit, re ipsa, pro sua veritate & Omnipotentia, prestare potest, & prestat. Non est enim solius hominis ordinatio & actio, ut non pauci fanatici opinantur, in solum hominem Christum intuentes: sed etiam Dei ipsius.

MATERIA.

Non solum diuinitas Christi est Omniprensens in Testamento sui vsu, sed etiam corpus & sanguis Christi, ut verba Christi perspicua, in hoc Testamento ipsius posita, sonant & extant.

FORMA.

Vbicunque locorum in Ecclesia Christi militante in his terris, verba Testamenti Christi sonant, & accedit usurpatio à Christo ordinata, ibi reuera & substantialiter præstò est natura humana Christi in persona filij Dei, ut quidem ibi nominantur, corpus & sanguis Christi.

Accipiunt & comedunt homines in vsu huius Testamenti Dominici, Verum, Præsens, Naturale, Substantiale corpus Christi, & bibunt Verum, Præsentem, Naturalem, Substantialem sanguinem Christi.

Totum corpus Christi comedunt, & totum sanguinem Christi hauriunt, istâ Cœnâ sacrâ iuxta Christi institutionem utentes, non partem duntaxat corporis aut sanguinis Christi.

Et accipiunt illi usurpantes Cœnam sacram ore & fide ad salutem, vel ore tantum, sed ad iudicium.

Non visibiliter Christus adest suo corpore & sanguine in usu istius Cæne sacrae, sed in Mystério, & tamen vera & substantialis præsentia.

Nec Physicè, seu naturaliter aut tangibiliter ibi adest, aut accipitur corpus Christi, & eius sanguis in Cæne istius sacrae usurpatione, sed modo præternaturali, soli Deo noto & possibili: ac tamen verum, substantiale, præsens corpus & sanguis Iesu Christi ibi est, ac comeditur, & sanguis eius bibitur, ut verba Christi clara, & infalibilia sonant: Edite, Hoc est corpus meum: Bibite, Hic est sanguis meus. Non igitur altiùs in hoc mundo perscrutando ascendere valeamus. Ac tutissimum est, tribuere Christo in suis verbis veritatem & Omnipotentiam.

Liberè adest in usu huius Testamenti Christus, non solum diuina sua natura, sed etiam humana, iuxta sua verba in hoc Testamento expressa, ita ut extra legitimum, hoc est, à se institutù usum, non eadem ratione ibi sit.

Ista autem omnia, rationi humanae videntur mirabilia & impossibilia. Sed veritas istius Testamenti Dominici non pendet ex tua ratione, aut ratiocinationibus, sed ex voluntate, verbis, ac virtute omnipotentis & veracissimi Christi. Tuum itaque est, in obsequium fidei, rationem tuam humanam captiuare, ut Apostolus docet.

FINES, EFFECTVS SVNT.

Applicatio Christi, & beneficiorum ipsius. Quia Christo Salvatore generis humani sic placuit, non solum per verbum Euangelij se, suaq; beneficia parta per suam passionem applicare ac distribuere: Sed etiam in hoc suo Testamento, in quo singulatim, & unicuique utenti, voluit applicare illud ipsum corpus, quod pro ipso est traditum, & illum ipsum sanguinem, qui pro ipso est effusus in remissionem peccatorum. Hec est Christi Dei & hominis sancta, præclara, salutaris ordinatio, opponenda luctis periculosissimis de particularitate, & indignitate.

Certi-

Certitudo fidei, ac sigillum gratiae. Nam verbum Euangelij per se quidem satis ratum ac certum est. Sed Deus, ut succurrat imbecillitati fidei nostrae, etiam hoc insuper sigillum multò maximum addidit, ut hoc dono gratiae, iuxta Christi verba perspicua (accepto nimirum illo ipso corpore exhibito nobis, quod pro nobis in ara crucis pependit, & illo ipso sanguine nobis dato, quem pro nobis ibi effudit) certò statuamus, Christum totum esse nostrum, remissionem peccatorum & iustitiam ab ipso partam esse nostram. Vitam aeternam ab ipso acquisitam esse nostram. Me & te esse filios Dei acceptos.

Consolatio plenior aduersus peccata, quia hoc ipsum corpus Domini nostri Iesu Christi, in usu huius Testamenti, nobis certò datur comedendum, quod in Cruce pro nobis passum est, & hic ipse sanguis datur nobis bibendus, qui pro nobis in cruce effusus est. Quid verò posset nobis peccatoribus, iram Dei aduersus nos sentientibus, dici & esse consolatione plenius? Verbum quidem Euangelij per se quoque, operante Spiritu sancto, potest nobis solidam consolationem suppeditare, sed quòd insuper tam propè nobis praesens est Christus, ut etiam sese ipsum nobis manducandum praebeat, ac intimus velit esse noster hospes, domesticus, inhabitator, id verò consolationem adhuc efficaciorē reddit.

Dignitas Christianorum in Christum credentium, quòd Christus ipse totum se eis praebeat, etiam exhibitione sua intima corporis, quo nos redemit à peccato, à morte. Habuerunt sanè homines Ecclesiae veteris Testamenti suas dignitates excellentes, praecunctis alijs gentibus in orbe terrarum, ut quòd Deus cum hominibus locutus est, quòd seruatus Noah in diluuiò, quòd Loth per Angelum ex conflagratione Sodomae est liberatus, quòd traductus est populus Israeliticus per mare rubrum, quòd totos annos 40. sustentatus est in deserto, in terram promissam introductus, & quòd Deus in arca foederis apud ipsos habitauit, & similia. Sed profectò maior dignitas est hominum noui Testamenti, tum quia Deus homo factus est, tum quia hic Deus homo factus, qui nos à peccatis liberauit, etiam

dat carnem suam, quæ pro nobis oblata est in sacrificium expiationis, nobis comedendum, & sanguinem, quem pro nobis effudit, bibendum. Eiusmodi igitur beneficium non extitit in veteri Testamento, ubi quidem typica fuerunt pleraque.

Memoria & celebrationis Christi, suæ passionis, & beneficiorum, quæ præstitit generi humano, neruus, prout ipsemet in Testamento addidit: Hoc facite in mei commemorationem.

Viaticum est, ut & veteres nominârunt, ex hac vita in cælestem migraturis. Nec dubium est, quin Iesus Christus in nouissimo iudicio sit etiam hoc ipso nos cogniturus, quòd corpus suum dedit nobis manducandum, & sanguinem bibendum. Hæc etiam est illa nota, qua ouiculas suas in hoc mundo signat, & quas in die illo Maiestatico gratiosè acceptaturus, & beneficium suum in eis consummaturus est, restituta integritate & puritate corporis et animæ.

De effectu in indignis, hoc est, non agentibus pœnitentiam, iam dictum est, quòd videlicet iuxta Paulum sibi iudicium accersant.

COMPOSITA ET ALIA.

Non est caro Christi in pane extra usum à Christo institutum: ut, NON est in pane, qui includitur Monstrantia, ubi reponitur, vel in processione circumgestatur, &c.

Ratio est: Quia Testamenti verba sic sonant: Accipite, Comedite. Item: Bibite. Non inquit: Reponite, includite, circumgestate.

Sunt igitur istæ actiones in Papatu & lusus cum pane, item adoratio nudi panis, prorsus idololatrica, & propria Antichristi nota.

Sic impium est, sacrificare seu offerre corpus & sanguinem Domini in hoc Testamento pro viuis & mortuis. Nam Christus sic ordinavit, ut corpus suum comedatur cum pane, & sanguis suus bibatur cum vino. Porrò mortui non ampliùs comedere, aut bibere possunt. Sunt igitur ista quoque idololatrica & Antichristiana prorsus.

Ingens

Ingens praeterea sacrilegium est in usu Testamenti Dominici, Laicis surripere usum sanguinis Christi, quem tam pro ipsis, quam pro sacratis hominibus profudit: & verba mandati & ordinationis Christi clarè ita sonant: Bibite ex hoc omnes.

Argumenta porro, quibus hanc doctrinam de Omnipraesentia corporis & sanguinis Christi in Coena Dominica, infringere conantur Sacramentarij, alibi copiosius euoluuntur & refutantur. Sunt autem ista praecipua.

A proprietate finiti corporis, quod habet ac retinet Christus.

Sed falsa est ratiocinatio, à proprietate corporis humani per se, ad proprietatem naturae humanae, in unionem totius personae diuinæ assumptae, in qua omnis plenitudo diuinitatis inhabitat & cohabitans. Item: Hic Deus homo Iesus Christus claris verbis sic ordinauit, quod inquit: Accipite, comedite, hoc est corpus meum. Bibite, hic est sanguis meus. Ergo sic vult Iesus Christus in usu huius sui Testamenti esse praesens, suumq; corpus, & suum sanguinem praebere, atque exhibere manducandum & bibendum. Ac simul hac ordinatione pro suo beneplacito testatus est, se hoc posse praestare. Apud Deum enim non est impossibile omne verbum, ut Angelus caelestis docet.

Ab ascensione in caelum, & quòd inde est rediturus.

Sed ascensio Christi in caelum non potest impedire Testamentum Christi, quia ante ascensionem Christi sancitum & institutum est, & quidem ut obseruetur, donec venerit, ut Paulus testatur. Item: Data est Christo omnis potestas in caelo & in terra. Itaque Ascensio ipsius magis hanc doctrinam, de Omnipraesentia corporis & sanguinis Christi in Coena sacrae usu, confirmat, quam euertit. Habet enim Christus, Homo & Deus in unica duntaxat persona, omnem potestatem in caelo & terra.

Quod verò ad reditum Iesu Christi ad iudicium attinet, de visibili reditu ad iudicandum viuos & mortuos dicitur, neque praesentiam, exhibitionem, & sumptionem corporis & sanguinis Christi in usu sui Testamenti labefactat aut prohibet.

A suo

A suo abitu, & quòd eum non semper habituri sunt.

De visibili autem abitu loquitur Christus, & tamen manifestis verbis testatur, se eis præstò futurum, ut inquit: Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem seculi. Item, ut in usu Cænae sacra legitimo non cessat, neque cessare debet iteratio verborum Christi: Accipite, comedite, hoc est corpus meum: Bibite, hic est sanguis meus: ita etiam non cessat exhibitio, & acceptio præsentis & substantialis corporis & sanguinis Christi in usurpatione huius Testamenti. Et quænam ista est impietas, garrere à nobis Christum abesse. Ergone persona sua abest à nobis? Ergone dimidiatus Christus, quem Scriptura sacra ignorat, est nobiscum?

Quod verò ait, se non semper visibiliter, & in tanta inopia, futurum in hisce terris, nec semper eleemosynis opus habiturum, ut hæctenus factum erat, id præsentia substantiali in suo Testamento nihil prorsus derogat.

Sed non est mihi propositum, illas Sacramentariorum nugas hoc loco laboriosius repetere ac refellere, quia id alibi, per Dei gratiam, mediocriter est præstitum. Impiam itaque & blasphemam esse iudico hanc vocem Sacramentariorum: Tàm procul absens esse corpus Christi à Cæna sacra in his terris, quàm procul ultimum cælum à terra abest. Diabolica, inquam, prorsus est ista vox, & non vox Christi est. Non enim congruit cum verbis Testamenti Domini. Omnes itaque ouicula Christi debent eam fugere ac detestari.

*Ista strictius in præsentia annoto, quia alibi, ut dictum, ista doctrina de Cæna Domini aliquantò
fusiùs explicata ex-
tat.*

D E

De Omnipræsentia personæ

Christi iuxta utramque naturam in
Ecclesia sua, & in cre-
dentibus,

AN SIT.

LLVSTRIA habemus istius nostræ confessionis te-
stimonia, nempe quòd Iesus Christus Omnipræsens sit
in sua Ecclesia, in persona, iuxta utramque natu-
ram, ut:

Matth. 28. Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad
consummationem seculi. Hic ista vox, EGO, non admittit cauilla-
toriam illam glossam: Ego, scilicet mea natura diuina, & non mea
humana natura. Loquitur enim Christus de se toto, hoc est, de per-
sona sua, quæ constat natura diuina & humana. Ac reuera est Dia-
boli machinatio, eiusmodi deprauatione textus inuidens natura
humana in Christo, eiusq; gloriæ.

Matth. 18. Vbi sunt duo vel tres congregati in nomine meo,
ibi sum in medio eorum. Et hic loquitur Christus de se toto, non de
parte tantum sui, hoc est, non de unica duntaxat natura. Et est
summa consolatio pijs, quòd Christus totus personâ suâ Ecclesiæ suæ
adsit. Hanc igitur consolationem de Christi, etiam iuxta humanam
naturam, in sua Ecclesia præsentia, Diabolus odit, atque eludere
per flatuosa ingenia conatur.

Ioan. 14. Si quis diligit ME, (de se toto loquitur. Non enim
duntaxat diuina in Christo natura diligenda est, sed & humana
eius natura in hac persona) sermonem meum seruabit, (non tan-
tum sermonem diuinæ naturæ in Christo, sed etiã humanæ in unica
persona) & pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & man-
sionem apud eum faciemus. Docet itaq; Christus, se quoq;, ut qui sit
verus Deus & verus homo, mansionem in credentibus habiturum.

Q

Ephes. 3.

Ephes. 3. Christus habitat per fidem in cordibus vestris. Christus autem non significat solam diuinitatem Christi, (quia sola diuinitas non est Christus totus) sed totum Christum, totam videlicet & integram personam Christi, quæ constat natura diuina & humana. Hæc quia Spiritus sanctus dicitur, ideo reuera sic fiunt. At quomodo hoc perficiat Christus, tibi non est mandatum inuestigare: quia hoc arcanum non tuo ingenio relinquatur, sed Deo veraci & omnipotenti.

Galat. 2. Viuo autem iam non ego. Viuit verò in me Christus. Et hinc (Christus) nomen est personæ, quæ in hac unione hypostatica habet naturam diuinam & humanam.

2. Corinth. 13. Christus loquitur in me, scilicet totus Christus, Deus & homo.

Ibidem: Christus Iesus in vobis est. At Christus Iesus non tantum Deus, sed & homo est.

Hæc testimonia sunt perspicua & illustria, quòd totus Christus, Deus scilicet & homo, non sola eius diuinitas, nec sola eius humanitas, sit Omnipræsens in sua Ecclesia, & in credentibus.

Idem verò & euincit ista ratiocinatio.

Nihil est inuocandum, quod non sit Omnipræsens & Omnipotens.

Sed Iesus Christus totus est inuocandus, iuxta diuinam & humanam naturam, quia sola diuinitas non est Christus, ut & nec sola humanitas.

Ergo Iesus Christus totus, iuxta utramque naturam, præsens est se inuocantibus, audit ipsorum gemitus, & iuuat. Item:

Filius Dei est ubique.

Filius Dei induit carnem humanam personaliter.

Ergo caro humana personaliter unita filio Dei est ubique, in hac videlicet persona, non extra eam. Item:

Ubicunque in mundo hoc est Christus Deus, ibi est & Christus homo: & ubicunque in mundo hoc est Christus homo, ibi est & Chri-

& *Christus Deus. Ratio evidens & immota est, quia duæ in Christo natura, nempe diuina & humana, sunt personaliter, indissolubiliter, indistanter unite. Ac prorsum est Nestorianum scelus, dirumpere atque separare istas duas naturas ex persona Christi.*

Sed Christus Deus presens est in sua Ecclesia, & in credentibus.

Ergo & Christus homo presens est in sua Ecclesia, & in credentibus.

Q V I D.

Omnipresens persona Christi iuxta utramque naturam in sua Ecclesia, & in credentibus, est opus misericordiae Christi, quo reuera non iuxta diuinam suam naturam, sed simul iuxta suam humanam naturam, quam in unionem arctissimam suæ diuinæ personæ assumpsit, in hac sua persona presens est ubique in sua Ecclesia, ubi Euangelium Christi incorruptè traditur, & Sacramenta iuxta ipsius Christi institutionem rectè usurpantur, & habitat in credentibus, & operatur in eis veram ad Deum conuersionem, renouationem vitæ, & salutem.

E F F I C I E N S.

Deus hoc effecit, ut natura humana in persona filij Dei sit Omnipresens. Quia filius Dei in unionem suæ diuinæ personæ assumpsit naturam humanam in utero Mariæ virginis, idq; absq; omni permutatione aut mutatione naturarum utrarumq;, & inseparabiliter, atque indistanter.

Enormis itaque temeritas hominum est, istam tam arctam, & nobis hominibus inexplicabilem unionem duarum in unica filij Dei persona naturarum, nempe diuinæ & humanæ, ullo pacto diuellere ac lacerare, vel eam quoquo modo dedecorare.

M A T E R I A.

Est ipsa Christi persona, quæ constat natura diuina & humana, quæ natura inseparabiliter & indistanter unite sunt.

Est autem Christus in cætu suæ Ecclesiæ, ubicunque est, & habitat in credentibus, ut mox iterum dicetur.

FORMA.

Totus Christus totâ suâ personâ , non dimidiatus Christus, non vna duntaxat natura eius , Omnipræsens est in sua Ecclesia, ubicunque locorum ea est. Non enim habent Christiani hic in Prussia alium Christum sibi præsentem , alium in Germania , alium in Turcia: sed ubique in Ecclesia Christi vnicus est Christus , Deus & homo , non alibi Deus , & alibi homo. Ecce (inquit veracissimus & Omnipotens Christus) EGO sum vobiscum vsque ad consummationem seculi. EGO , inquit , Deus homo factus , & homo Deus.

Docet Ecclesiam suam , ita vt loquatur in veris doctoribus, 2. Corinth. 13.

Largitur Spiritum sanctum per auditum fidei, Gal. 3. 4.

Conseruat Ecclesiam suam , quia omnem potestatem accepit in cælo & in terra , etiam quâ homo est , defendit suam Ecclesiam, dispellit Diabolos , infringit impiorum machinationes , mitigat erumnas , liberat ex afflictionibus. Ea autem omnia præstat liberè. Nam Ecclesiam degenerantem , & homines ruentes in peccata contra conscientiam , & in ijs sine pœnitentia perseuerantes, deserit.

Inhabitat ipsemet credentes, Ephes. 3.

Tandem ex cælo visibiliter prodiens in nubibus , obseruato Vniuersali de omnibus hominibus & Diabolis iudicio , suam Ecclesiam ex omnibus malis , hoc est, à peccato , à morte , à Diabolo , & ab inferno liberatam , secum traducet in eas beatas mansiones, quas suo sanguine ipsi peperit , & in æternum glorificatos homines inhabitabit : pro quo quidem beneficio , æternam Iesu Christo Domino nostro laudem adscribimus , & dicimus , & magis dicemus in vita cælesti ac perpetua.

FINES

FINES, EFFECTVS.

Vt sit caput Ecclesie sue in omnem eternitatem. Ephe. 1. Ipsum dedit CAPVT super omnia ipsi Ecclesie.

Vt sit CVSTOS Ecclesie sue. Ecce inquit: Ego vobiscum sum vsque ad consummationem seculi, Matth. 28.

Gubernatio Ecclesie, & omnium piorum, vt fides & nouitas vite in eis crescant.

Consolatio firma & ingens, quod Christus nobis adest presens, videt nos, curat nos, protegit nos aduersus omnes hostes spirituales & corporales, 1. Ioan. 4. Maior est, qui IN VOBIS est, quam qui in mundo est.

Inuocatio Christi totius, Omnipresentis omnibus inuocantibus eum, Philp. 2.

Glorificatio Christi Omnipresentis in Ecclesia sua. Dignus enim est hoc honore, vt perpetuo ei acclametur: Benedictus Agnus, qui occisus est pro peccatis totius mundi.

COMPOSITA ET ALIA.

I.

Pronomen EGO alicubi non complectitur utramque naturam Christi, vt Iohan. 8. Antequam Abraham foret, EGO sum.

Ergo & in hoc dicto Christi: Ecce EGO sum vobiscum vsque ad consummationem seculi. Item, Ero in medio eorum: (EGO) non complectitur naturam humanam, sed diuinam tantum.

Respondetur. Est vitiosa collectio à particulari ad vniuersale. Alicubi inquit: Ego, tantum de diuina natura in Christo dicitur.

citur. Ergò in omnibus Christi dictis, ubi EGO usurpat, duntaxat de diuina natura accipiendum est, & non de humana. Hæc ratiocinatio falsa est.

Deinde Christi dictum Ioan. 8. sanè de persona Christi loquitur, & verissimè pronunciat, hanc suam personam, quæ iam statuto tempore humanam naturam induerit, extitisse, antequam Abraham in natura rerum existeret.

Observandum quoque, quòd hîc Christus disertè de suo ESSE, aut de sua EXISTENTIA ante Abraham hominem, loquatur.

In reliquis autem dictis, Matth. 18. & 28. non loquitur Christus de suo esse, aut existentia, ante homines, sed de sua persona, in qua iam unitæ erant personaliter istæ duæ naturæ, diuina & humana, de quæ se toto, prout est, & existit Christus, id est, Deus & homo. Sic igitur pronunciat, sese adesse cætui suæ Ecclesiæ iuxta utramque naturam.

Præterea & hoc observandum. Sacramentarij subinde nos conantur à *ἡ* *ἐκ* *τῶν* verborum Cæna abstrahere. Verùm nos hîc quoque decet, in *ἡ* *ἐκ* *τῶν* verborum Christi persistere. Is autem inquit Ecce EGO ero vobiscum. Ergò est nobiscum Christus totus in persona, Verus Deus & homo, & non homo solus, nec Deus solus.

II.

Vbi efficacia & operatione Christus suum opus potest efficere, ibi non necesse est, eum utrisque naturis, nempe diuina & humana adesse, sufficit una, nempe diuina.

Ergò natura humana in Christo, non est Omnipræsens in suâ Ecclesiâ.

Respon-

Respondetur. Antecedens est mera Dei irrisio, non ex bono spiritu profecta. Sic scilicet reformationibus tuis, et irrisionibus, etiam diuinam naturā, ac Deum ipsum posses remouere ab Omnipresentia in sua Ecclesia. Item, eadem opera posses naturam humanam Christi, ab opere maximè necessario redemptionis totius generis humani remouere, quia pro tuo ingenio satis fuisset, si diuinitas sola nos redemisset.

Verum aliter Domino Deo nostro visum fuit, qui voluit Deum hominem fieri, & hominem Deum, ut ita hac persona filij Dei, iuxta utramque naturam, esset nostra redemptio & salus. Sic visum est Iesu Christo Saluatori nostro, quod ipse totus, Deus & homo, id est, iuxta naturam diuinam & humanam, velit esse Omniprensens in sua Ecclesia, & pios inhabitare.

Vides itaq; Diabolum in eiusmodi non tantum futilibus, sed etiam blasphemis ebuccinationibus, omnes suas calumnias in Christum hominem dirigere atque euomere: hunc conatur à dextera Dei varijs tauillationibus detrahere: huic molitur omnem potestatem ipsi datam imminuere, & limitibus quibusdam arctis sepire ac circūscribere: hunc vult ex Ecclesia sua remouere, ut hoc pacto Ecclesia Christi non habeat hominem Christum presentem, sed duntaxat Deum Christum. Istas autem machinationes diabolicas, neminem in Ecclesia Christi animaduertere vult Diabolus, & hac ipsa arte vnus fidei articulus post alium labefactabitur sonoribus prestigiatorum verbis, hominibus scilicet altum somnum dormitantibus & stertentibus. O expergiscimini vigiles Ecclesie Christi. O attendite ouicula Christi. Nam si non Christus, Deus & homo, vobis presens est in Ecclesia sua, sed duntaxat Christus Deus, seu iuxta diuinam naturam saltem, tum vestrum, vestrum, inquam, Christum amissis: quia is iam non est vester Christus, qui tantum constat diuina natura, aut qui tantum vobis presens est diuina sua natura.

Sic scilicet diuellit Satan naturas in Christo, & insuper tumultuatur verbis vehementibus, ut nemo hoc improbet, quia iste hostis incarnationis filij Dei affectat etiam dominationem in Ecclesia Christi, sed est, ut Paulus loquitur, APTIDEE.

Non expresse extant istae voces in sacris literis. Natura Christi humana est ubique in sua Ecclesia, habitat in credentibus.

Respondetur. O miram istius spiritus sancti moniam. Sic etiam fanatici Anabaptistae, prodigiosam sanctitatem praeseferentes, garrunt: Non extare in sacris literis ista verba: Baptisate infantes. Quasi verò Christus non satis dixisset: Baptisate omnes gentes, & quasi infantes sub gentium appellatione comprehendi non deberent? Rectè autem istis tenebrionibus respondetur, ut monstrent nobis vicissim, ubi ista verba in sacris Biblijs extant: Baptisate tantum adultos, aut senes. Eadem itaque ratione istis nouis doctoribus respondendum est, ut nobis monstrent, ubi in sacris extant ista verba: Tantum natura diuina Christi est in sua Ecclesia ubique. Item, ubi extet negatiua: Humana Christi natura non est ubique in sua Ecclesia.

An verò non potuit Christus disertè & rectè loqui, quòd inquit: Ecce EGO sum vobiscum vsque ad consummationem seculi? An verò ille Christus non est totus Christus, constans scilicet humana & diuina natura? An non potuisset, si voluisset, dicere: Mea tantum diuinam naturam vobis adero praesens, & nequaquam mea humana natura? Iam verò expresse inquit: EGO. Sed quis EGO? scilicet, solus Deus, excluso homine, quem suscepi? Nequaquam. Nam solus Deus non est ille EGO, nempe Christus, qui hic loquitur etiam humana voce, & iste EGO, scilicet, ut illi interpretantur, sola diuina natura, vel tantum iuxta diuinam naturam: Iste inquam EGO, non est noster Christus, neque est noster Saluator.
Est

Est itaque novum idolum Sacramentarium. Nam noster Christus & saluator est Deus & homo in vna persona, ita unita diuina & humana natura, in vnica persona filij Dei, vt inseparabiliter atque indistanter copulata atque iuncta sint vtraque ille natura.

Quando itaque Christus dicit: EGO ero vobiscum. Item: Sum in medio eorum. Et quando Paulus inquit: Christum habitare in cordibus, tum de hoc Christo dicitur, qui est Deus & homo in vnica persona, & non de ignoto alio Christo, qui est tantum Deus.

Falsum igitur est, hanc doctrinam non extare in sacris literis: Iesum Christum scilicet in persona, iuxta vtramque naturam, nempe diuinam & humanam, esse in sua Ecclesia vbiuis terrarum, & habitare in suis credentibus.

III.

Nihilominus natura humana Christi est unita persona filij Dei, nec ab ea diuellitur, licet ea non sit in hoc mundo, vbi Christus iuxta suam diuinitatem est. Diuinitas quidem Christi vbi que est in Ecclesia sua. At humanitas Christi, non est vbi que in sua Ecclesia, aut in credentibus.

Respondetur. Sunt mera phantasmata contra Dei verbum, & contra honorem & gloriam humane nature, persona filij Dei inseparabiliter & indistanter unita. Nam ista phantastica doctrina non habet vlla in sacris literis fundamenta, alias enim non foret phantastica. Deinde fingit naturam in Christo humanam, personaliter unitam esse persona filij Dei, & tamen non esse vbi que simul in Ecclesia Dei, vbi natura diuina Christi est, & quidem in persona. Iam verò gryllos considera. Est persona Christi vbi que in Ecclesia: & tamen eius natura in totam eam personam recepta, non est simul vbi que. Annón ista sunt contradictoria? Assuerare scilicet (vt repetamus) unionem arctissimam, & indissolubilem, & personalem

nalem in Christo diuine & humana natura: & tamen in pugna certare: Diuinam duntaxat naturam Christi esse ubique in sua Ecclesia, humanam verò non simul esse ubique in Ecclesia sua. Annò, inquam, hoc est re ipsa distrahere, discerpere, diuellere, lacerare unio- nem hypostaticam? Quomodo enim manet natura humana Christi in unione hypostatica, si Christi persona diuina est ubique in sua Ecclesia, natura verò humana ei personæ indissolubiliter atque indistanter unita, non est simul in hac personæ ubique in sua Ecclesia? Num, quia personæ filij Dei est immensa, in parte duntaxat aliqua eius humana natura personæ Christi adherescit, perinde ut Antuerpia adheret Oceano occidentali, aut perinde ut rami stant super truncum arboris, ut Martyr insanit? At hoc Phantasma falsissimum est, quia natura Christi humana, non in partem duntaxat aliquam personæ diuine filij Dei assumpta est, sed in totam eam personam.

III.

Nec valent illi grylli: Persona filij Dei ubique tota est. Quare et ibi tota est, ubi natura humana existit, à se in unione sua personæ assumpta nimirum in cælo. At nihilominus alibi, utpote in Ecclesia, ubique est natura Christi diuina, ubi tamen eius natura humana NON est. An verò hoc non est prodigiosum monstrum? Fingitur enim duplex Christi persona. Vna quidem, quæ sit vna personæ cum natura Christi humana, quæ scilicet in unio- nem istius diuine personæ est assumpta, & alia personæ, quæ sit ubique in Ecclesia Christi, sine humana natura, quia eam isti Sacramentarij omninò, ac pertinaciter, à personæ diuina Christi, ubique in Ecclesia sua existente, seu à natura diuina Christi, certè non sine personæ, ubique in Ecclesia presente, remouent atque seiungunt.

Aperite itaque oculos vestros, ò vos ouicula Christi, arrigite auriculas vestras, atque solerter attendite, an hæc sit vox Christi Archiepiscopi vestri? An talem in Ecclesia, & cordibus vestris admit-
tere

tere velitis, aut potius debeat Christum, qui tantum sua divina natura in persona vobis adsit, absque humana natura? Nequaquam. Nam sola divina natura Christi non est vester Christus, sed ille, qui Deus & homo est in unica persona, inseparabiliter atque indistincte unitis duabus naturis, ita ut ubicunque est persona Christi, ibi est Deus & homo, ille, inquam, est vester Christus. Annō igitur animadvertitis, quò tendat hostis Christi & Ecclesiae? nimirum, ut hac arte discerpatur naturas in Christo, & tam longè removeat naturam in Christo humanam à terris, ab Ecclesia, à cordibus credentium, quàm cælum ultimum à terris distat. Nam hoc principium Sacramentarium, quod ebuccinant de cæna Domini, necesse est eos hinc quoque statuere, ubi agitur de presentia Christi in sua Ecclesia, & in cordibus credentium. Sic igitur astute atque occultè dimidiatus tantum Christus misera ipsius Ecclesiae relinquitur, quia natura Christi humana ab ea presentia in sua Ecclesia, repudiatur atque excluditur. Sic scilicet odium suum in naturam Christi humanam exercet Satan, & homines flatuosi, siue scientes, siue inscientes, ora & stylos accommodant: id quod dolendum est. Utinam itaque pedes suos referant, qui pessimo ductore nimis procul sunt progressi.

Dominus noster Iesus Christus, regnans ad dexteram aeterni Patris, veritatem doctrinae & gloriae suae apud nos & posteritatem nostram clementer conseruet, & errantes in viam rectam ex misericordia immensa reducat, & blasphemias tetras furiosorum hominum potenter reprimat, ac tandem ex sublimi cælo iuxta promissiones suas veniat, nosque ab omni malo liberet, ut ipse nos docuit orare, hoc est, à peccato, à morte, à diabolo, ab immundo mundo, & ab inferno. Amen,
Amen.

SOLI DEO UNI ET TRI-
NO GLORIA.

Christophorus

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

2011 DE 111 111
NO. 11111





153431

AB 153431

X2203609







DE
VBIQVITATE,
SEU

Omnipræsentia Dei

I. IN GENERE:

II. IN SPECIE, IN SVA ECCLESIA:

I. HVMANAE NATVRAE IN PERSONA
CHRISTI, IN TOTO MVNDO:

II. IN TESTAMENTO DOMINICO:

III. IN ECCLESIA, ET IN CREDENTI-
BVS:

CONSIDERATIO
METHODICA

Per

*Joannem Uvigandum, Episcopum
Pomezaniensem.*



T V B I N G A E
In Officina Georgij Gruppenbachij.

ANNO M. D. LXXXIX.

